Historiae Deorum Gentilium de Apolline, Aesculapio, Musis, Aurora ad Cynthium Ioannem Baptistam Gyraldum, Syntagma Septimum.

Lilius Gregorius Gyraldus Cynthio Ioannae Baptistae Gyraldo S. P. D.

Iure tibi, charissime Cynthi, nostrum de Apolline Syntagma mittimus, ut sub tuo nomine in uulgus prodeat, non tantum ut dem tibi cognominem deum Cynthium: uerum, quod eius etiam dei partes omnes, cum summa tua, et urbis huius laude, impleas. Nam primum quantus sis in omni poetica, poemata tua iam edita facile declarant: tum uero in philosophia, et medicinae facultate, in primis tuae adolescentiae annis et florenti aetate tale praebueras specimen, ut inter nostrae urbis, atque adeo tota Italia, eius scientiae professores esses non postremum locum habiturus. Memini senes doctissimi ac sapientissimi Ioannem Manardum, et Ludouicum Bonactiolum de te ita praedicare solitos, unum scilicet te medicam facultatem maxime illustraturum, si in ea colenda perstitisses. Sed Coelii nostri Calcagnini, uiri eruditissimi interitus, minime hoc tempore patriae opportunus, te ab hac excellentis expectationis specula deduxit, nec ea permisit te perficere, quae in ea fueras nauiter aggressus. Nam cum in Coelii locum unus aliquis esset surrogandus, in publice praelegendis et interpretandis Latinae linguae auctoribus doctor, te nullum aptiorem idoneumque magis, ciuium suorum, totiusque ditionis amantissimus prudentissimusque Princeps noster HERCVLES Secundus censuit: id quod gratissimum fuisse nonnullis medicae artis professoribus intellexi, qui tuae surgenti, et iam prope uolitanti ubique gloriae inuidebant. Verum haec missa facio, nostrumque potius incoeptum prosequor. Auguror enim, et praeuideo, non falsus (opinor) uates, te non minus in hac palaestra lauream consecuturum, inuidiamque superaturum, atque in illa iam fueras: tantum, quod saxum indies uoluere coepisti, ne te ab eo sudor et labor deterreat, sed magis ac magis enitere, ut ego, quem uides et aetate et morbis prope cadentem, in tua uirtute florescente conquiescam. Interea hanc nostram qualemcunque lucubrationem, cupio ut aliquando ea perlegas ratione, non quidem ut aliquid addiscas ex ea, sed uel ut emendes: uel certe ut uideas, quantum seni et languenti [p.300] studia haec nostra, qualia qualia sint, molestias, et uitae taedia leuent. Vale: et liberos quaeso tuos, per eam quam tu mi suauissime Cynthi strenue teris semitam, ducas, ut ex nostra familia nouum aliquod patriae decus subinde exoriri uideatur.

APOLLO. AESCVLAPIVS, ET MVSAE.

Apollinem, quem deum gentes existimabant, quatuor in primis artibus praefuisse legimus, idque etiam ex Homeri et Orphei hymnis colligimus. Nam citharoedum primum, ac citharoedorum deum putauit antiquitas: deinde medicinae inuentorem, ac ipsum etiam medicum constituit: tum iaculatorem, et sagittarium: postremo uatem et uaticinii deum existimauit. ex quibus quidem quatuor rebus, multiplicia ei sunt attributa cognomina. qua ex re et Cotta apud Ciceronem in III. de Natura deorum, Apollines quatuor celebrat: quorum antiquissimus, is qui ex Vulcano natus, Athenarum custos dictus est: alter, Corybantis filius, natus in Creta, cuius de illa insula cum Ioue ipso certamen fuisse traditur: tertius Ioue tertio natus, et Latona, quem ex Hyperboreis Delphos ferunt aduenisse: quartus, in Arcadia, quem Arcades Nomionem appellant, quod ab eo se ferunt leges accepisse. Haec uel Cotta, uel potius Cicero. Sed enimuero Arnobius, quinque Solis nomine commemorat in quarto aduersus Gentes, hoc ordine: Sol, inquit, primus Iouis filius dicitur, et Aetheris habetur nepos: secundus, Regina et Hyperione proditus genitore: tertius, Vulcano, non Lemnio, sed Nili qui fuerit filius: quartus, Ialysi pater, quem Rhodi peperit Heroicis temporibus Achanto: quintus, Scythici regis, et uersipellis habetur Circes. Quae tamen uerba parum castigata uidentur, et sumpta ex M. Ciceronis secundo de Natura deorum, ut paulo post ostendam. Diuersos quoque et uarios idem Arnobius, Apollinis amores recenset: Arsinoas, Chrysas, Hypsipylas, Marpessas, Zeusippas, et Prothoas, Daphnas, et Steropas: ne Branchos dicam, et Hyacinthos. Sedenim his missis, Apollinis nomen pro diuersis ponitur significatibus: nunc pro sole, nunc pro deo, nunc pro uate diuino, nunc pro mundo, nunc pro significatione humanae uocis: cui ideo et nouem Musae iunguntur, ut in Musis, pluribus docebo. Porro iuxta Porphyrii librum, quem solem appellauit, triplicem constat uere

esse Apollinis potestatem: et eundem esse solem apud superos, [p.301] Liberum patrem in terris, Apollinem apud inferos. unde etiam tria insignia circa eius simulachrum effingebant: lyram, quae coelestis Harmoniae imaginem monstrabat: gryphon aeneum, uel clypeum, ut in quinto legit Buccatius, quod terrenum numen ostendebat: et sagittas, quibus infernus deus et noxius indicabatur. unde et Apollo ἀπὸ τοῦ ἀποβάλλειν dictus, ab iaciendo. Hinc est etiam quod Homerus eundem tam pestilentiae dicit, quam salutis auctorem. Et Horatius ait,

Condito mitis placidusque telo
Supplices audis pueros Apollo.

Sane quoniam de gryphe Apollini dicato est modo facta mentio, id uidetur in Fulgentio castigandum, quod est in calce primi libri Mythologicon: His, inquit, Tryphum quoque Apollini adiciunt, etc. Ego aliquando legendum Tripodem putaui: nunc uero Gryphen lego. quod cum parum animaduertisset Polymathes interpres, Typhonem ipse castigauit. Sedenim non modo gryphes huic deo ascripsit antiquitas, sed et coruum, ut docet Aelianus in Historiis animalium. unde ab Ausonio, Phoebeius oscen, coruus dicitur: cuius fabulam et Ouidius exequitur, et Hyginus. Phurnutus tamen hoc abnuere uidetur. Coruum enim ait a Phoebo alienum esse, quod uel ipso colore profanus ac impurus sit habitus, id est μιαρὸς: illique potius cycnum auem attribuit, μουσικώτατον καὶ λευκώτατον ὀρνέων, quod scilicet auium sit maxime musicus, et candidissimus. Sane et Apollini quidam eruditissimi attribuunt accipitris genus, quod perdicoteros dicitur, ut ministret illi: ut ossifragam et harpan Mineruae, columbarium uero Mercurio sacrum esse tradunt, Iunoni autem tanysipteron, buteonem Dianae, Matri deum morphnon, itemque alias aliis deis: ut Lunae ibim. Porro et huic deo Aegyptii accipitrem dicabant, ut Aelianus ait, quem sua lingua thaustum appellabant, et deum ipsum Horon, ut planius alibi ostendam. Quin etiam huic eidem deo Graeci laurum attribuerunt, non tam ob Daphnes fabulam, quam ob ipsius plantae uirtutem, de qua nonnulla Phurnutus dixit, et Parthenius. Sed et ego plura, quadam mea Annotatione. Tripus etiam huic deo dicatus fuit, propter numeri ternarii perfectionem: uel propter tres coeli circulos, quorum unum secat Sol, annuum cursum perficiens. Qua uero forma tripus esset, uarie proditur. Quidam mensam, uas alii, plerique perforatum sedile tradidiere. Quid si aliqua ex parte omnes uera prodidere? Sed et tripus certantibus praemium dari solitus, id quod Pindarus et Horatius ostendunt. Buccatius insulse tripodem putauit lauri speciem. Legimus et saltationis genus fuisse, quod a mulieribus in Apollinis et Dianae honorem perageretur, βαρύλλικα nuncupatum. Nec illud tibi reticuerim, quod est annotatione dignum: Lacedaemonios aliquando [p.302] Apollinis simulachrum τετράωτον effinxisse, hoc est, cum quatuor auribus, quod grammaticus Aristoteles annotauit: et simul ut quatuor haberet manus, quod, (ut Sosibius scripsit) ea specie uisus fuisset, cum apud Amyclas pugnarent. unde etiam prouerbium emanauit, τετράωτον ἄκουε, hoc est, quadriaurem audi: hoc est, prudentem et industrium. Sed iam institutum inchoemus.

Scribit Arnobius libro secundo, quod Apollinis nomen apud Romanos, indigitamenta Pompiliana nesciuerunt. Macrobius Apollinis omnia cognomina a solis fere uirtute deducta, demonstrare nititur. Ego autem non modo quae ille perscripsit, breuiter afferam, sed et quae ipse ex uaria scriptorum lectione collegi: atque ab ipso primum exordiar Apollinis nomine.

Apollo igitur, ut Plato scribit, dictus est, ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὰς ἀκτίνας, hoc est, a iaculando radios. quin et idem Thessalos ait non Apollinem dixisse, sed ἁπλοῦν, propter uaticinia, in quibus τὸ ἀληθὲς τὲ καὶ ἁπλοῦν, ταῦτον γὰρ ἔστι: quod scilicet uerum et simplex idem sit. Id quod et Phurnutus cum aliis multis recitat. At uero Chrysippus Apollinem dictum ait ab α, τὸ ἄνευ, id est, non, particula priuatiua, καὶ πολλοὶ: quod non multi, sed solus claritatem obtineat. quo modo et latini solem dixere, quod solus luceat. Nam et Varro ait in libro de Lingua latina Sol, uel quod ita Sabini, uel solus ita lucet. Speusippus autem existimat, quod ex multis ignibus eius uis constet, ὡς ἀπὸ πολλῶν οὐσιῶν πυρὸς αὐτοῦ συνεστῶτος. Sed Cleanthes, quod ab aliis atque aliis locorum declinationibus faciat ortum: hoc est graece, ὡς ἀπ´ ἄλλων καὶ ἄλλων τόπων τὰς ἀνατολὰς ποιουμένου. Cornificius uero Apollinem nominatum arbitratur, ἀπὸ τοῦ ἀναπολεῖν: quia intra circuitum mundi, quem graeci πόλον appellant, impetu latus, ad ortus refertur. Sunt qui dictum putent ὅτι μὴ μετὰ πολλῶν

συναριθμούμενος: id est, quod non cum multis connumeratur. Hinc etiam Sol dictus est, ut ait M. Cicero secundo de Natura deorum: uel quia solus ex omnibus sideribus est tantus: uel quia cum est exortus, obscuratis omnibus solus appareat. Iam uero Cotta Balbo respondens ait: Cumque tu Solem, quia solus esset, appellatum esse dicas, Soles ipsi quam multi a theologis proferuntur? unus eorum Ioue natus, nepos Aetheris: alter Hyperione: tertius Vulcano, Nili filio, cuius urbem Aegyptii uolunt esse eam quae ἡλίου πόλις appellatur: quartus, is quem Heroicis temporibus Achanto Rhodi peperisse dicitur, auum Lalysi, Cameri, et Lindi: quintus, is qui Colchis fertur Aeetan et Circem procreauisse. haec Cicero, et Arnobius. Sane Hesiodus in Theogonia, Solis et Lunae matrem Theian nominat. quem secutus est Pindarus in cuiuspiam hymni principio, μάτερ ἀελίου πολυώνυμε θεῖα, hoc est, mater solis multinomia Theia. Alii Apollinem nominatum [p.303] putant, quod exanimet et perimat animantes, ὡς ἀπολύοντα τὰ ζῶα, cum scilicet caloris intemperie pestem immittit: ut in Phaethonte ait Euripides, et innuit Archilochos apud Macrobium. Denique et inustos morbo ἀπολλωνοβλήτους καὶ ἡλιοβλήτους, quasi insolatos dicas, appellant. Et quia sunt Solis effectibus effectus Lunae in iuuando nocendoque similes, ideo foeminas certis afflictas morbis σεληνοβλήτους καὶ ἀρτεμιδοβλήτους, quasi Luna ac Diana percussas uocant. Fuit cum putarem, quae supra dicta sunt nomina, ita enunciari debere, ut μουσολήπτους, et νυμφολήπτους. Hinc etiam factum, ut arcu et sagittis Apollinis simulachra praedita sint: per sagittas ut intelligatur uis emissa radiorum. Porro et ipse idem Apollo auctor est publicae sospitatis, quam creditur Sol animantibus praestare temperie: sed quia perpetuam praestat salubritatem, et pestilens ab ipso casus rarior est, ideo Apollinis simulachra manu dextera Gratias gestant, arcum cum sagittis sinistra: quod ad noxam sit pigrior, et salutem dextera manus promptior largiatur. Hinc est quod eidem attribuebatur medendi potestas: quia temperatus solis calor morborum omnium fuga est. unde Apollinem quidam, quasi ἀπελλῶντα, hoc est propellentem et auertentem morbos, cognominatum putarunt: quae sententia congruit cum iis, qui latine ab appellendo deducunt, id est procul pellendo. nam et Apellinem pro Apolline ueteres dixisse, testis est Festus. Hinc et Athenienses ἀλεξίκακον appellabant, de quo Pausanias in Attica: Duo, inquit, Apollines pro templo, ex quibus alterum Leochares, alterum Alexicacum nomine Chalamis effinxit. id deo nomen inditum aiunt, quod pestilentiae morbus cum bello Peloponnesiaco in Attica grassabatur, oraculo Delphis reddito populum liberauit, unde est illi nomen factum. Quidam malorum depulsorem interpretati sunt, ut apud Arrianum in VIII. gestorum Alexandri. Pausanias in Eliacis, Alexicacum uocatum ab Atheniensibus, apud Eleos Acesium nuncupari, eundemque esse. Acesius autem παρὰ τὸ ἀκέσασθαι, ἢ ἀκέσαι denominari, uideri potest, quae uerba mederi et curare significant. Sed et Lindii colebant λοίμιον Apollinem, hoc cognomine finita pestilentia nuncupatum. Eadem opinio Sospitalis et medici dei in Romanorum quoque sacris habebatur. namque uirgines Vestales ita indigitabant: Apollo ἴηιε, id est medice, Apollo Paean. Cum ergo solis sint duo maximi effectus: alter, quo calore temperato mortalium uitam iuuat: alter, quo iactu radiorum nonnumquam pestiferum mortalibus immittit uirus: duo eademque cognomina utrique effectui apta esse uidentur, ut fit ἴηιος, id est medicabilis, qua uoce et Orpheus in hymnis inuocat, et Sophocles, [p.304] ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι, id est a sanando: et Paean, ἀπὸ τοῦ παύειν τὰς ἀνίας, hoc est a sedando molestias. et in malo rursus ἴηιος, ἀπὸ τοῦ ἰέναι, id est ab immittendo βέλους, id est sagittas: et Paean, ἀπὸ τοῦ παίειν, hoc est a feriendo, ut ait Festus, quod sagittarum ictu eum nocere putabant. est enim, ut dixi, παίειν ferire. Alii, quod remedium afferens morbis, finem faceret telis grauatus. Phurnutus quoque, Paeana ait ideo uocari, siue κατὰ ἀντίφρασιν ἐξιλαστικῶς, id est deprecatiue, ne morbos immittat, neue immissum ab eo aera inficiat. siue quod sit ipse sanitatis corporis causa, ob bonam temperiem ipsius ambeuntis aeris. Obtinuit tamen apud gentes usus, ut cum sibi dari sanitatem precarentur, ἴη παιὰν, per η graecam literam enunciarent: ac si dicerent, medere Paean. cum autem ἵε Paean, per epsilon literam dicerent, cum aspiratione prioris literae, significabant hoc dici in aliqua aduersa precatione, quasi dicerent, immitte Paean, uel iace Paean: qua uoce ferunt Latonam usam, cum Apollinem hortaretur impetum in Pythona serpentem facere,

ipsumque sagittis incessere, qua de re in nostris Poetis non adeo diuersa ex Athenaeo et Terentiano attulimus. hinc Claudianus,

Implorat Paeana suum conterrita Delos.

Sed hoc loco praestat afferre, quae Macrobius de eisdem dei cognominibus persecutus est. hanc uocem, hoc est ἴη παιὰν, confirmasse fertur oraculum Delphicum, Atheniensibus petentibus opem dei aduersus Amazonas, Theseo adhuc regnante. namque inituros bellum, hic ipsis uerbis semetipsum auxiliatorem inuocari, hortarique dixit. Apollodorus uero libro XIIII., de deis, ἴηιον Solem scribit appellari, quod per orbem Sol feratur, et eat: hoc est, ἀπὸ τοῦ κατὰ κόσμον ἴεσθαι, καὶ ἰέναι. ἴηιος, ait Hesychius, cum afflatu, Apollo dictus, ἀπὸ τὴς ἀφέσεως, id est missione sagittae: cum tenui uero, ἀπὸ τὴς ἰάσεως, id est a medela. medicus enim deus est. Orpheus ad Musaeum, καὶ ἵηιε φοῖβε. Sophocles quoque in Oedipo tyranno, chorum inducit ita exclamantem, ἴηιε Delie Paean. Sed et Bacchus hoc nomine dictus apud Athenaeum libro octauo.

Οὔλιον etiam Apollinem, ait Macrobius, deum praestantem salubribus causis appellabant, id est, sanitatis auctorem. Menander scribit, Milesios οὐλίῳ Apollini pro salute sua immolasse. Pherecydes Theseum ait, cum in Cretam ad Minotaurum duceretur, uouisse pro salute et reditu suo Apollini Vlio, et Dianae Vliae. Scribit uero Strabo in XIIII., οὔλιον Apollinem uocatum a Deliis et Milesiis salutiferum, et Paeonium. Nam οὔλω idem est quod ualeo. Hinc et οὐλὴ, cicatrix. Homerus in Odysseae ω, οὖλέ τε καὶ μάλα χαίρε. hoc est, uale, atque ualde salue. Sane contrario sensu Mars Vlios etiam dici uidetur in Herculis scuto, ἐν δὲ καὶ αὐτὸς ἐναρφόρος οὔλιος ἄρης, id est, ibi et ipse spolia ferens Vlius Mars. [p.305]

Libystinus, seu Libyssinus Apollo, apud Pachynum Siciliae promontorium summa religione cultus. nam cum Libyci essent Siciliam inuasuri, ad id promontorium appulerunt: Apollo qui ibi colebatur, inuocatus ab incolis, immissa hostibus peste, cunctis pene subita morte interceptis, Libystinus Apollo cognominatus est. Romanorum quoque continetur annalibus, similis eiusdem dei praesentiae maiestas. nam cum ludi primo Romae Apollini celebrarentur ex uaticinio Martii uatis, carmineque Sibyllino, repentino hostis aduentu plebs ad arma excitata hosti occurrit, eoque tempore nubes sagittarum in aduersos uisa ferri, quae hostes fugauit, et uictores Romanos ad spectacula dei Sospitalis reduxit. hinc existimat Macrobius uictoriae, non pestilentiae causa, ludos institutos Apollinares: oblitus, quod dixerat prius, ludos inchoatos, cum ab hostibus aggrederentur.

Loxias etiam cognominatus est Apollo, tradente Macrobio ex Aenopidis sententia, quod per obliquum circulum ab occasu ad orientem pergit: hoc est, ὅτι ἐκπορεύεται τὸν λόξον κυύκλον ἀπὸ δυσμῶν εἰς ἀναπολὰς: quod etiam Phurnutus copiosius scribit. aut ut Cleanthes ait, quod flexuosum pergit iter: uel quod transuersos in nos a meridie immittit radios, cum ad ipsum nos simus septentrionales. Scribit uero Isaacius in Lycophronis ferme calce, quod λόξαν φωνὴν, id est obliquam uocem et oracula nobis edat. eandemque simul, quam primo loco Aenopidis tradidimus, sententiam affert. Sedenim alii ferme omnes in oraculorum obliquitatem et perplexitatem referunt, inter quos Seruius, item Synesius de Somniis, et Pindari interpretes in Pythiis et Phurnutus.

Delius quoque Apollo cognominatus est, ut ait Macrobius, quod Sol luce sua cuncta τὰ δῆλα, id est clara et manifesta faciat. uel dictus a Delo insula notissima, in qua et natus et cultus, et oracula habita certissima reddebat. Tibullus in elegia,

Fulserit hic niueis Delius alitibus.

Sane in limine Apollinis Delii inscriptos fuisse uersus legimus, quibus edocerentur homines, qua herbarum compositione aduersus omnia uenena uterentur. Delos autem insula inter Cyclades celeberrima est, ut apud Apollonium Rhodium notant interpretes, sacra in primis Apollini, quae et Asterie nuncupata a figura, item Ortygie a sorore Latonae: tametsi in hoc uariant scriptores. Delos et Cynthus uocata fuit, teste Stephano, unde et Cynthius Apollo. dicta uero a Cyntho, Oceani filio. Quidam et montem Cynthum scribunt, ut Festus et Seruius, a quo et Cynthia Diana. Legitur praeterea Callimachi poetae hymnus in Delum, ubi de Delio Apolline multa, inter quae et hoc:

Delius ex me, sed posthac dicetur Apollo.

Fuit et Epidelius Apollo, [p.306] a uico prope Maleam nuncupatus, ubi Epidelii fuit templum, de quo hanc historiam legimus: Cum Menophanes Mithridaticae classis praefectus Delum euertisset, expilatis donariis, et Deliis in

seruitutem abductis, barbarus inter eos quidam simulachrum dei in pelagus abiecit, quod ad Peloponnesi littora peruenit, et a Lacedaemoniis susceptum honorifice, nuncupatum est Apollinis Epidelii, quasi ex Delo uenientis. Phanaeum etiam Apollinem nuncupatum uidemus, uel ab apparitione, uel quod eo nomine coleretur a Chiis: cuius Achaeus meminit in Omphale, et Hesychius. Stephanus quidem φάναι promontorium Chii scribit, unde Phanaeus dicatur: sic uero dictum ab ἀναφανῆσαι, hoc est, quod illic apparuerit Delos Latonae. Macrobius ἀπὸ τοῦ φαίνειν deducit, quod quotidie Sol nouus appareat. Seruius grammaticus in secundo Georgicon Phanaeum montem ait uitibus consitum in promontorio Chii, dictum a Phanaeo rege, cuius et Lucilius meminit. Sane Phurnutus Apollinem scribit Delium et Phanaeum denominatum, ἀπὸ τοῦ δηλοῦσθαι, id est a manifestando, quod uidelicet omnia illustret quae sunt in mundo: sicut et Phanaei Apollinis fanum constructum, ἀναφαίνοντος, id est illustrantis omnia. huic uero id subsequitur, et Delon et Anaphen sacratas esse ipsi deo. Sane in manuscripto Phurnuti codice Anaphaeus Apollo scribitur, id quod conuenire perbelle uidetur.

Phoebus appellatur, ut ait Cornificius, ἀπὸ τοῦ φοιτᾶν βίᾳ, quod scilicet vi feratur. Plerique autem a specie et nitore dictum putant: alii, quod a sordibus corpora purget. Φοιβέω enim est purgo, unde φοιβὸν τὸ κάθαρον, a quo Phoebus Apollo, ut Phurnutus, et in II. Argonauticon Apollonii scribunt interpretes. Alii Phoebum quasi φώβιον dictum arbitrantur, a φῶς et βίος, id est a luce et uita. Sunt qui a Phoebe matre Latonae deriuant, id quod in allegoriis Homeri redarguit Heraclides Ponticus. Quod uero quidam tradunt, huic deo (quod ipse imberbis esset) primam barbam et capillum consecrari solitum, non eo inficias id aliquibus contigisse, non omnibus. nam Achilles apud Homerum Sperchio fluuii deo uouerat. Sane κουροτρόφος Apollo dicebatur, cui adolescentes capillos primum attondebant.

Αειγενέτῃ Apollini Camarinenses, qui sacram Soli insulam incolebant, rem sacram faciebant, uti deo, qui semper exoriens gignitur, quique ipse generat uniuersa seminando, fouendo, producendo, alendo, augendoque. Quidam non Aigeneten, sed Argeneten uocarunt, uel Archegeneten potius. Thucydides libro sexto, ubi de Sicilia agit: Graecorum autem primi Chalcidenses ex Euboea transeuntes, cum Theocle illius deductore coloniae Naxum incoluerunt, et aram Apollinis [p.307] Archegetae, quae nunc extra urbem uisitur, extruxerunt: ubi quoties e Sicilia soluunt, oracula petituri, primum sacrificant. Haec ex Thukydide.

Lycii Apollinis plures accepimus cognominis causas. Antipater Stoicus Lycium Apollinem nuncupatum scribit ἀπὸ τοῦ λευκαίνεσθαι πάντα φωτίζοντος ἡλίου: id est, quod omnia albescant illucescente sole. Cleanthes Lycium Apollinem appellatum notat, quod ueluti lupi pecora rapiunt, ita ipse quoque humorem radiis rapit. Philostratus inducit in primo de Imaginibus, Palamedem loquentem contra Vlyssem, qui iusserat lupos occidi: ille negabat, quod ipsos ut praeludium pestis Apollo immitteret. quare, inquit, Lycio ac Phyxio luporum et fugae praesidi Apollini preces afferamus, ut feras suis tollat sagittis. Prisci quoque Graecorum primam lucem, quae praecedit solis exortum, λύκην appellauere, ἀπὸ τοῦ λύκω, id est a lupo. hodie quoque Lycophos dicitur: eandem et λύκην Homerus nec semel appellauit. quin et latini uidentur lucem a λύκη deriuasse. Quin idem ipse Homerus eam lucem, cum iam tum cernens lupus se in uiam dare solet, ἀμφιλύκην νύκτα appellare uidetur. Theon uero Amphylicen Solis exortum interpretatur. Sed et solem uocari hoc nomine λύκου, Lycopolitana Thebaidos Aegypti ciuitas testimonium esse potest, quae pari religione Apollinem, itemque lupum, hoc est λύκον colebat: in utroque Solem uenerans, quia hoc animal rapit et consumit omnia in modum solis: ac plurimum oculorum acie uidens tenebras nocturnas euincit. ipsos quoque λύκους a λύκη, idest luce appellatos, aliqui putant. Pausanias uarius est in Lycio Apolline interpretando. nam in Attica dictum ait a Lycio Pandionis filio, cui et Lycium sacrum Athenis fuit. In Corinthiacis uero, Cum Danaus (inquit) cum Gelanore de Argorum imperio contenderet, Argiui eum lupo compararunt, et lupus taurum occidit: ideo Danaum sortitum fuisse Argiuorum dominatum, et existimasse Apollinem lupum sibi misisse, et propterea Lycii Apollinis templum construxisse. quam rem ille pluribus explicat. Idem tamen Pausanias ubi de Lyceo Athenarum agit: Lycius, inquit, deus appellatus est primum in Telmisses, ad quos Lycus cum

Aegeum fugeret, primum uenit, unde Lycii appellati dicuntur. Scribit Diodorus Siculus, Lycum cum in Lyciam uenisset, templum Lycii Apollinis penes Xanthum fluuium erexisse. Porro hic Lycius Apollo, Atticus. Λύκειον cum diphthongo in penultima a Stephano et Pausania scribitur. Fuit et Lycei Apollinis templum apud Sicyonios, hac causa constructum. Cum lupi eorum greges infestarent, ita ut nullum inde fructum perciperent, deus ubi lignum aridum fuerat, praedixit, ut eius ligni cortex cum carne lupis praeponeretur: quod ubi fecissent, ferae gustantes interiere. Et propterea Lyceo [p.308] Apollini templum constructum fuisse, Pausanias in Corinthiacis tradit. Lycii Apollinis, ait Festus, oraculum in Lycia maximae claritatis fuit, ob luporum interfectionem. Lycii meminit Vergilius,

Lyciae iussere capessere sortes.

Idem,

Qualis ubi hybernam Lyciam, Xanthique fluenta, etc.

Propertius, Lycio uota probante deo.

Quidam Pataraeum etiam uocant.

Λυκοκτόνος, Lycoctonos Apollo appellatus, hoc est Lupicida, ex lege quapiam ab Atheniensibus lata, qua cauebatur, ut qui in Attica lupi catulum occideret, talento donaretur: qui lupum ipsum, duobus. quod Aristophanis interpres scribit. Meminit Sophocles in Electra, et Hesychius. Aristarchus existimabat, quem etiam sequitur Phurnutus, hunc deum sic nuncupatum, quia Nomius sit, id est pastoralis, et pascuorum custodiam ipse deus gerat, dum scilicet lupos interimit. Est enim lupus Apollini sacer: id quod obseruandum est, cum lupum alii Marti attribuant, unde et Martius a Vergilio est dictus.

Λυκηγενέτην, Lycegeneten Apollinem uocat Homerus, non quod in Lycia generatus sit, (nam recens admodum est fabula, ut ait Heraclides Ponticus in allegoriis Homeri, neque temporibus Homeri adhuc innotuerat) sed uti diem ἠριγένειαν uocant, propterea quod τὸ ἦρ, hoc est diluculum generet: ita solem λυκηγενῆ dixit Homerus, quod matutinae lucis et splendoris auctor ipse sit. uel quod λυκάβαντα progeneret, hoc est annum, quem conficit Sol suo per XII signa Zodiaki cursu. Sed et aliam de anno Lycabante, seu Lycobante sententiam ex Aeliano et Macrobio in Annis et Mensibus, etc. docuimus: quae ut hic repetatur, id monet, quod ibi parum emendate legatur. Annum graeci λυκόβαντα uocant, idque ea ratione, ut scribit Aelianus, quod erga lupum Sol amorem habere dicatur: eoque animali Apollinem delectari ferunt, quod ipse in lucem editus feratur ex Latonae in lupae speciem imaginemque conuersa. cuius sane rei et Homerus meminit, cum Apollinem uocat λυκηγενέτην: ob eamque rem lupi simulachrum in Delphico templo ex aere positum fuisse legimus. Alii non id propterea ibi positum aiunt, sed cum donaria ac oblata ex templo direpta fuissent, ea demum a sacrilegis defossa lupus indicauit: qui intra templum ingressus, unum ex sacerdotibus, mordicus uestem eius trahens, ad locum duxit, ubi thesauri defossi fuerant, atque ita pedibus scalpens effodit. Porro, uersus Homeri, cuius meminimus, hic est,

εὔχευ δ΄ἀπόλλωνι λυκηγενέτῃ κλυτοτόξῳ.

id est, Precare Apollinem Lycegenetem, arcu inclytum. Λυκωρεὺς etiam Apollo uocatus, ut Diodorus scribit, et meminit Apollonius. Sed et Orpheus in hymno ad Apollinem, ἐλθὲ μάκαρ παῖαν τιτυοκτόνε φοῖβε λυκωρεῦ. hoc est, [p.309]

Sancte ueni Paean Tityoctone Phoebe Lycoreu.

Legimus et Lycoreum Iouem, apud Stephanum.

Coelispicem Apollinem a Latinis inuenio nuncupatum, uel quod Coelum, uel Coelium conspiceret. nam a P. Victore in urbis descriptione ad aedem Portuni Apollo Coelispex constitutus est, in undecima regione.

Latous Apollo a matre uocatus, et Latoius, et Latonigena, et Latonius: sicut etiam Diana. Horatius primo Carminum,

Frui paratis et ualido mihi Latoe dones.

Catullus,

O Latonia maximi Magna progenies Iouis.

Vocatus et Latoides. Statius:

Tenuit reuerentia caedis Latoiden.

Sunt exempla horum apud poetas, et in primis apud Ouidium in Metamorphoseis.

Opsophagus Apollo, cultus ab Elaeis: ac si dicas obsonatorem, et manduconem. Huius facta est mentio a Polemone in epistola ad Attalum.

Epicurius Apollo, id est auxiliator, apud Phygaliam in Arcadia cultus, cui nomen inditum, quod in pestilentia tulisset opem. sed et alibi cultus, qua de re copiosius in Parrhasio.

Spodius Apollo Thebis cultus, cuius ara ex cineribus sacrificiorum constructa fuit, supra lapidem Sophronestera nuncupatum, unde nomen illi: ibidem et oracula reddebantur. Pausanias in Boeoticis.

Delphinius Apollo cognominatus, cui Theseus, ut Plutarchus scribit, Marathonium taurum immolauit. Delphinius uero appellatus, quod Castalio Cretensi coloniam deducenti se obtulit ducem, delphini sub imagine. quin et nauem ei usque ad Cryssaeum Phocidis sinum praecessit: unde Delphi etiam dicti, qui locum ab eo munitum tenuere. uel dictus, quod Pythona Delphina appellatum interemit. Sed et Delphinia Diana appellata fuit, et culta, ut apud Iulium Pollucem legimus. ait enim libro octauo, Delphinium constitutum ab Aegeo fuisse Apollini Delphinio, et Dianae Delphiniae, in eoque primum Theseum iudicatum fuisse, etc. Quare miror quosdam doctos non Dianam Delphiniam, sed Bellonam, scriptis prodidisse. Pausanias in Attica de templo Delphinii Apollinis, cum conderetur, et Theseo, historiam recitat. nec multo post idem Pausanias In Delphinio, inquit, iudicium fuit de iis qui se iure interfecisse contendebant, in quod Theseus descendit, et absolutus est, cum Pallantem filiosque res nouas molientes interfecisset. nam ante Thesei absolutionem, aut fugiendum, aut talionem subeundum fuit. Plutarchus in eo quo agit, terrestriane an aquatica prudentiora: Delphinium ait Apollinem uocatum, quoniam delphinem tum emiserit, quem secuti sunt Cretenses Cirrham usque. Fuit et apud Aeginetas Delphinius mensis, Apollini Delphinio sacer, quo etiam mense ei sacrificium et rem diuinam faciebant. quisnam uero mensis [p.310] is fuerit, non memini me legere: et propterea de eo scribere supersedi in nostro de Annis mensibus etc. Sed fortassis Thargelion erat, qui cadit in nostrum aprilem. Porro quidam Delphion et Delphinion eundem faciunt. Delphion autem Apollinem ita describit Macrobius ideoque Delphion uocatum ait, quod quae obscura sunt, claritudine lucis ostendit, ἐκ τοῦ δηλοῦν ἀφανῆ, aut, ut placuisse scribit Numenio, quasi unum et solum. ait enim, prisca Graecorum lingua δέλφον, unum uocitari. unde et frater, inquit, ἄδελφος dicitur, quasi iam non unus. Quam ob rem tamen eum nonnulli reprehendunt. nam fratres dictos aiunt, quoniam ex eadem sint uulua et matrice nati: est enim δελφὺς ἡ μήτρα, id est uulua, ut Hesychius, Suidas, alii tradunt: nec Pollux tacuit. Aristoteles de Animalibus, interprete Gaza: Pars uuluae interior, loci, et uterus appellatur, unde uterinos dici fratres scimus. sic graece, καλεῖται δὲ τούτον τὰ μὲν ὕστερα καὶ δελφὺς, ὅθεν καὶ ἀδελφοὺς προσαγορεύουσι. Arpocration Delphii, seu Delphinii potius Apollinis templum et iudicium constituit ex Demosthenis auctoritate. Pollux libro octauo Delphinium legit, quem plerique omnes secuti sunt. In eo iudicium primum Thesei habitum est, dum ille fateretur ab se quidem latrones interfectos, sed iure caesos, etc. Tertium enim tribunal legimus fuisse ex Demosthenis sententia, Athenis in Delphinio, ubi ius dicebatur iis qui caedem commisisse non negarent, sed iure eam fecisse contenderent.

Delphicus etiam Apollo est cognominatus. Ouidius,

Placuit tibi Delphice certe.

Orpheus in hymno,

Γρύνιε καὶ σμινθεῦ, πυθοκτόνε δελφικὲ μάντι. Dictus uero a Delphis est, qui Pythius, orbis umbilicus, ut legitur in Priapeis. Hinc apud Varronem antiquus poeta: O sancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum obtines. quod tamen impugnat et exponit Varro pluribus in libro de Lingua latina, et Phurnutus: sed et Strabo, quare dictus sit orbis umbilicus, et Pindarus, et Lactantius grammaticus in Thebaide et Claudianus, quod pluribus in nostris Annotationum dialogis sumus executi. Delphicus igitur Apollo, a Delphorum oraculo notissimo: quod quomodo coeperit, primum scilicet a capra ostensum, tum a pastoribus, demum a Pythia uirgine tandiu oracula reddita, quoad ab Echecrate una uiolata, statutum est, ut a uetere muliere, in habitu tamen puellae, redderentur, in tripode sedente, lege XVI. Diodori Siculi Bibliotheces librum, qui hanc omnem historiam copiose describit. Delphicum uero hoc oraculum multis thesauris donariisque refertissimum legimus, adeo ut a Barbaris, et Gallis in primis depraedatum fuerit. Et saepe etiam arsisse, et ter quidem a Thracibus concrematum, prodit Eusebius. Herodotus etiam ab Amasi rege restitutum ait Delphici Apollinis templum, toto orbe terrarum celeberrimum, quinquies [p.311] extructum, ac restauratum ad sua tempora, scribit Pausanias: et primum quidem ex lauri ramis e Thessalia

deuectis, in specus modum exaedificatum. Secundo ab apibus, ex caera et alarum membranulis, ex quo πτερὰν nuncupatum: alii, a uiri nomine πτερὰ. Tertio aeneum conditum aiunt: quod mirum non uideri debere scribit, cum et eiusmodi alia legantur, et Chalcioecus Pallas. quo consumpto, quartum ex quadratum lapide Trophonius et Agamedes LI. Olypiade extruxere. Quinto ab Amphictyonibus instauratum, ex sacra pecunia, architeto Spintharo Corinthio, quod suo tempore durare Pausanias scripsit. Libet hic Statii uersus afferre, ubi de Amphiarai interitu agit, libro octauo Thebaidos:

Quicquid es, aeternus Phoebi dolor, et noua clades,

Semper eris, mutisque diu plorabere Delphis,

Haec Tenedon Cirrhamque dies, partuque ligatam

Delon, et intonsi claudet penetralia Branchi:

Nec Clarias hac luce fores, Didymaeaque quisquam

Limina, nec Lyciam supplex consultor adibit.

Quos uersus libentius attuli: nam de Apolline plura continent.

Triopius Apollo appellatus etiam, a Triopio (ut ait Stephanus) urbe Cariae, quae a Triopo patre Erisychthonis denominata fuit. dicitur et Triopia. Hellanicus etiam Triopa dixit, a Triops, unde posset aliquis commode nomen deflectere, a uoce uel aspectu triplici. Scribit tamen Diodorus Siculus, Triopum Solis filium in Cariam ex Creta profectum, et ab eo promontorium Triopium nuncupatum. Ad Triopii quidem templum et celebritas et certamen celebraretur, teste Herodoto in primo, ad quod e finitimis Doriensibus nemo admittebatur: quin etiam et populares, si quando sacri legem transgrederentur, a communicatione ludorum excludebantur. In certamine quidem Triopii Apollinis uictoribus aerei tripodes donabantur: quos tamen haud licebat uictores asportare, sed deo ipsi in loco dono dare. Quare Agasicles Alicarnasseus uictor spreta lege, cum tripodem extulisset, eius patria Alicarnassus ex Hexapolis participatu amota fuit, et ex Hexapoli Pentapolis constituta.

Ismenius Apollo dictus, teste Pausania in Boeoticis, ab Ismeno colle ad dextram portam Thebarum, ad cuius ingressum Minerua et Mercurius erant, qui πρόναοι appellabantur, id est, pro templo positi. horum alterum Phidias, alterum Scopas fecisse dicuntur. Est et fluuius Ismenus, ab Ismeno Apollinis et Meliae filio dictus. Ad Apollinis Ismenii ingressum lapis fuit, δίφρος μαντοῦς, id est Currus Mantus dictus, super quo Manto Tiresiae filiam sedisse tradunt, ut est apud Pausaniam. Stephanus Apollinem Ismenium uult appellatum [p.312] fuisse a fluuio, non a colle. meminit et Hesychius. Scribit libro primo Herodotus, ad suam aetatem in templo Apollinis Ismenii fuisse Croesi regis donaria ex auro solido. Idem libro quinto, ait se in eodem templo uidisse Cadmeas ueteres literas, in tripodibus quosdam incisas. eius uero templi sacerdos, ut Pausanias scribit, Daphnephorus, hoc est laurifer cognominabatur, quem forma et genere insignem quotannis sacrabant.

Ptous Apollo cognominatus, a Ptois Thebanis montibus, qui a Ptoo Athamantis et Themistus filio dicti sunt, ut Asius poeta cecinit apud Pausaniam. dabantur uero ibi responsa certissima. Ptoi Apollinis meminit Herodotus in septimo: Ad fanum, inquit, Apollinis Ptoi, quod Thebanorum est, situm supra paludem Copaiden ante montem, prope urbem Acrephiam. Meminimus et nos in tertio de Poetis dialogo. Ptoon quoque Lycophron Apollinem appellauit, cuius filium dixit Hectorem. Idem Stesichorus, et Alexander Aetolus. Quidam non a monte nomen inditum Ptoo putant, sed ex formidine a fero sue Latonae iniecta, cum Dianam et Apollinem peperisset: unde Ptous Apollo, et Ptoa Diana uocati sunt, una cum matre, ὅτι ἐπτοήθη, hoc est, quod pertimuit. De Ptoo uero monte tricipite, scribit Strabo libro IX. Homerumque aduocat ita dicentem,

καί ποτε τὸν τρικάρανον πτώου κευθμῶνα κατέσχε.

Κερδῶον quoque, id est Lucrionem Apollinem seorsum a Mercurio cognominatum lego, quod oracula ad lucrum daret. Certe legimus etiam Pythiam pecunia corruptam, oracula reddisse et Philippo et aliis.

Πατρῶον, id est Patrium Apollinem cognominauerunt antiqui, non propria gentis unius aut ciuitatis regione, sed ut auctorem, quod progenerandis omnibus praebuerit causam, ut apud Macrobium canit Orpheus, πατρὸς ἔχοντα νοὸν, καὶ ἐπίφρονα βούλην. hoc est, Consilium prudens et mentem patris habentem.

Scribit in Attica Pausanias aedem huius Dei Athenis fuisse, iuxta quam multae erant picturae historiarum ab Euphranore pictae.

Est et apud Arpocrationem huius dei mentio. ait enim, Athenienses hunc uenerari communiter ab Ione, qui Atticam incoluit, ut dicit Aristoteles, et ab eo Athenienses Iones appellatos: et Apollinem patroum apud ipsos cognominatum. Plato in Euthyphrone: Caeteris, inquit, Atheniensibus est patrous Iupiter. Non est, inquam, apud Ionas talis cognominatus, neque apud eos qui ex hac urbe manarunt, neque apud nos, sed Apollo patrous propter Ionis generationem, etc. Aristophanis uero interpres Patrium Iouem, Patriumque Apollinem ideo Athenienses cognominasse ait, quod omnium primi eos deos et ea regione exceperint, illisque per singulas tam curias quam populos et cognationes sacra fecerint: et Apollinem quidem ut patrem cultum, quod Creusam Erechthei [p.313] filiam uxorem duxisset, ex qua natus est Ion, a quo ipsi Iones appellati. Patroi Apollinis et Apollonius meminit. Et huc quoque Vergilium respexisse uolunt, cum cecinit, Patriasque obtruncat ad aras. alii tamen potius Iouis Hercei designari a poeta aram putant, ut ibi dictum est.

Nomium Apollinem cognominarunt antiqui, ait Phurnutus et Macrobius, non ex officio pastorali, ut habet fabula, per quam fingitur Admeti regis pecora pauisse: sed quia sol pascit omnia quae terra progenerat. unde non unius generis, sed omnium pecorum pastor canitur: ut apud Homerum non modo boum pastor, sed et equorum fingitur. Eius praeterea aedes, ut omnium pastoris, fuerunt: apud Camirenses ἐπιμηλίου, id est opilionis: apud Naxios ποιμνίου, id est pastoralis: itemque deus ἀρνοκόμης, id est agnorum custos colebatur, et apud Lesbios ναπαῖος. Et pleraque eius cognomina fuerunt per diuersas ciuitates et gentes, ad pastoris officia pertinentia: quapropter uniuersi pecoris antistes, et uere pastor ab antiquis putabatur. Sed enim magis poetae, et poetarum interpretes ei adhaesere opinioni, ut Nomius appellaretur Apollo, quod Admeti regis, diuinitate priuatus, armenta pauerit: παρὰ τὸ νέμω (unde et Vergilius, Pastor ab Amphryso) est nuncupatus, quam opinionem Callimachus in hymno etiam est executus. Phurnutus etiam a pastorali cura Nomium nuncupatum tradit. interpretes uero Pindari a cantu, id est a νόμῳ, dictum putauerunt. Sunt qui ideo Nomium uocatum tradant, ob legum nimiam seueritatem, quam Arcadiae rex illis populis intulerit, ut Cicero in tertio de Natura deorum: et Nomionem, non Nomium dicere uidetur. Sane et Agraeum, ἀγραῖον, id est agrestem Apollinem uocatum, etiam legimus in commentariis Pindari, et item apud Pausaniam et in commentariis in Apollonium ἀγρέα, quod et in Aristaeo scripsimus.

Pythius Apollo nuncupatus, ut notissimum est. Propertius:

Pythius in longa carmina ueste sonat.

Dictus a Pythone serpente, Apollinis sagittis confecto, cuius fabula ab Ouidio in Metamorphoseis plane descripta est. Sed a Pythio quidem Apolline, Pythia uates Phoebas dicta, quae oracula et responsa dabat. de qua praeter alios, Diodorus Siculus libro decimosexto Bibliothecae copiose disserit. Si uero quo pacto numen conciperet, uis scire, lege Iamblichum, et Origenem in septimo aduersus Celsum Epicureum, id maxime ridentem, mulierem numen concipere per eas partes, quas conspicere nefas pudens uir ducat. Ioannes autem Chrysostomos: Traditur, inquit, haec Pythia foemina fuisse, quae in tripode sedens, expansa malignum spiritum per inferna emissum, et per genitales partes subeuntem excipiens, [p.314] furore repleretur, ipsaque resolutis crinibus debaccharetur, ex ore spumas emittens, et sic furoris uerba loquebatur. Libet tamen hoc tibi loco altius repetere, quae de Pythia alias notaui. Scribit igitur Plutarchus, stultum esse, et admodum puerile, putare deum ipsum, sicut ἐγγαστριμύθους, id est uentriloquos spiritus, Eurycleas quondam, nunc Pythones appellatos, subire corpora uatum et diuinantium, et ore ipsorum et uocibus, ut organis, id est instrumentis utentes respondere: qui si sese misceret usibus humanis, grauitati parceret, neque seruaret dignitatem, et uirtutis suae magnitudinem. Haec ferme Plutarchus. De Euryclia etiam Aristophanes in Vespis, μιμουσάμενος τὴν εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν: Imitans, inquit, Eurycliae uaticinium et sententiam, in alienos uentres immittens comoedias multas fundi. meminit et Eurycliae Plato in Sophista. Hesychius ita ferme scribit: ἐγγαστρίμυθος, hunc (inquit) aliqui ἐγγαστρίμαντιν, seu στερνομάντιν uocant, quod uentre scilicet et pectore uaticinetur, qualis fuit Euryclea. unde et uatum genus Eurycleis dicuntur, et ἐγγαστρῖται. Erasmus in suis prouerbiis uidetur Eurycleae ἐναστριμύθου legisse, ab astris uidelicet futura et uera praedixisse, cum

ἐγγαστρίμυθον potius legendum sit. Sed incidisse puto eum in deprauatos codices, post tamen se ex Suida uidetur corrigere. Hermolaus peius errare uisus est in suis in Plinium Castigationibus, qui γαστέρα pro uase accipit: et de ea diuinatione intelligit, quae per uasculum etiam hodie a superstitiosis fiat, qualis Lecanomantia, et Coscinomantia. Sed praeter ea quae de Engastromythis ex Plutarcho et aliis dicta sunt, sacra quoque Hebraeorum historiae libro Regum primo, ubi LXX interpretes nec semel, quod latine scriptum est, mulier quae spiritum Pythonis haberet, γύνη ἐγγαστρίμυθος habent. D. Augustinus, et alii, Ventriloquos uocant. Sed quid uetat, postquam in haec incidimus, in studiosorum adolescentum gratiam, hic nuda nomina breuissime ascribere, quae de eiusmodi superstitiosis uaticinantium generibus alias collegi? Post hos inquam uentriloquos, legimus et Thymomantes, qui et Psychomantes uocantur ab Hesychio, qui animi furore uaticinantur: item Thyoscopos, qui per sacra quaedam diuinant. Sunt et qui per ignem, qui Pyromantes uocantur: et Pyromantia. Ignispicina dicta, cuius auctor Amphiaraus, si non potius malus daemon. Fuerunt et qui per ignes incederent, ut uates Eueclus: qui ideo ἐμπυρόβαται cognominati sunt, ut in Italia Hirpini. Diuinatio uero quae per aquam fiebat, si non et hoc tempore fiat, Hydromantia nuncupata est: quae ex fontibus, πηγομαντία, et ex his uates πηγομάντεις et νυμφόληπτοι dicuntur. est et quae per farinam et eiusmodi alia fiat, Aleuromantia et Alphitomantia [p.315] dicta: et quae punctis et lineis quibusdam, quae Geomantia: itemque quae ex speculis, Catoptromantia. addunt et nonnulli Astragolomantiam, quae ex astragolorum iactu exercetur: et quae ex caseo, eiusque dispositione sit, Tyromantiam. et quae ex fumo fiebat, καπνομαντίαν. ex auibus, hoc est Auguria et Auspicia, οἰωνοσκοπίαν, et Alectryomantiam. et ex extis, qua maxime Hetrusci in Italia ualuerunt, Haruspicinam et Extispicium. Item per cribra diuinationes, quae graece Coscinomantia: et ex securibus, quae dicta est Axinomantia: et ex pelui, quae Lecanomantia: et ex herbis, quae βοτανομαντία, et in primis haec sagarum et ueneficarum mulierum est: item ex mortuis et cadaueribus, umbrisque, Necromantia et Necyomantia et Sciomantia: ex astris quoque et stellis, Astronomia, et Asteroscopia, in quibus Chaldaei peritissimi fuisse traduntur: ex aëre, Aeromantia, ex Nubibus Nephelomantia: id est, ex imaginibus quae in nubibus plerumque uidentur, qua re aliquos usos, in secundo de Poetarum historia prodidi. Fuit ex aspectu praeterea, et fronte, totoque corporis filo et natura, Metoposcopia, et Metopomantia, Physiognomia, Prosoposcopiaque. ex manuum lineis, signisque, Chiromantia. item ex numeris, quae Arithmantia uocatur: de qua in Poetis, in Nicomachi uita, pleraque. praeterea ex piscibus, Ichthyomantia: quae et Apuleio obiecta fuit, ut ex Apologiis eius uidemus, et ex Aeliano. Ex palpitatione quoque membrorum, et particularum, cum scilicet saliunt, quod palmicum augurium uocatur. Fit et diuinatio ex insomniis, et somniorum coniectura ac iudicio, quae Oniromantia, et Onirocrisis, in qua Telmissei excelluere: unde Onirocritici libelli, Artemidori et Synesii. Et caetera diuinationum genera, quae pertinent ad uisa, portenta, ostenta, omina, prodigia, fulgura, fulgetras, et fulmina: item quae ad sternutamenta. de quibus omnibus ad haec usque tempora, in tanta fidei nostra luce, si Deo placet, reperiuntur qui operam et dent assiduam, et in his etiam libros edant. Sed iam de his plus etiam quam satis. Ad Pythium Apollinem redeo, a quo et ludi dicti Pythia, in uictoriae memoriam instituti, ita Ouidio canente: Hunc deus Arcitenens, etc.

Perdidit effuso per uulnera nigra ueneno.
Neue operis famam possit delere uetustas,
Instituit sacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomiti serpentis nomine dictos.

Et reliqua. His uero ludis praemium pecunia primum, deinde corona fuit. Sed et non uno in loco Pythia agitata fuisse comperi. nam et apud Megarenses, et Sicyonios instituta legimus, in commentariis Pindaricis. Sane nec te lateat, Pythonem hunc serpentem etiam Delphinum uocatum, ut Aelius prodit. Alii, inter quos Callimachus poeta est, serpentem aiunt [p.316] oraculum custodiuisse: unde et Apollo ipse Delphinius dictus est, ut alibi ostensum. Illud praeterea addo, Pytho et Delphos eandem urbem significare: unde et Pythius deus, et Delphicus. Sed cum plurima de Pythone physice tradantur, ego hic breuiter ex Macrobio desumpta nonnulla referam. Latonae igitur pariturae Iuno dicitur obstitisse. sed ubi tandem partus effusus est, draconem ferunt, qui Python uocitabatur, infantium

cunas inuasisse, Apollinemque in prima infantia sagittis belluam confecisse. quod ita intelligendum est. Post Chaos, cum primum coepit confusa deformitas in rerum formas et elementa nitescere, terraque adhuc humida substantia in molli atque instabili sede nutaret, conualescente paulatim aethereo calore, atque inde seminibus in eam igneis defluentibus, haec sidera esse edita antiqui illi gentium philosophi credidere: et Solem maxima caloris ui in superna raptum, Lunam uero humidiore et uelut foemineo sexu, naturali quodam pressam tepore, inferiora tenuisse, tanquam ille magis substantia patris constet, haec matris. Si quidem physici Latonam uolunt terram uideri, cui diu interuenit Iuno, ne numina quae dicta sunt, ederentur: hoc est aer, qui tunc humidus adhuc, grauisque obstabat aetheri, ne fulgor luminum per humoris aerei densitatem, tanquam ex cuiusdam partus progessione fulgeret. Sed diuinae prouidentiae uicit instantia, quae creditur iuuisse partum. Ideo in insula Delo, ad confirmandam fidem fabulae, aedes Prouidentiae, quam νάον προνοίας appellabant, adhibita religione celebrabatur: et propterea ea insula Delos uocata, quia ortus et quasi partus luminum omnia facit δῆλα, id est aperta et clara. hinc Plutarchus in Problematis apud Delphos ait, tres Enneateridas celebratas fuisse, quarum unam στηπτήριον uocabant, quae in imitatione pugnae uidebatur, quam Apollo aduersus Pythonem habuisse dicitur. alteram Heroidem, tertiam Charilam uocabant: de quibus omnibus ipsum lege Plutarchum, qui eas tres celebritates exponit. Sedenim ut rem nostram sequamur, ratio quae de nece Pythonis est, qui ἀπὸ τοῦ πύθεσθαι, id est a putrescendo dictus est, naturalis existimatur, ut scribit Antipater Stoicus. nam terrae adhuc humidae exhalatio, in superna meando uolubili impetu, atque inde sese, postquam calefacta est instar serpentis mortiferi in inferiora reuoluendo, corrumpebat omnia ui putredinis, quae non nisi ex calore et humore generatur: ipsumque Solem densitate caliginis obtegendo, nebula uidebatur quodammodo lumen eius eximere. Sed diuino radiorum feruore tandem uelut sagittis incidentibus extenuata, exiccata, enecta, interempti Pythonis ab Apolline fabulam fecit. quam Ouidius luculenter in Metamorphoseis exequitur, et Claudianus in praefatione his uersibus in Ruffinum, [p.317]

Phoebaeo domitus Python cum decidit arcu,
Membraque Cyrrhaeo fudit anhela iugo,
Qui spiris tegeret montes, hauriret hiatu
Flumina, sanguineis tingeret astra iubis, etc.

Hinc ab Orpheo in hymnis Apollo est cognominatus πυθόκτονος, id est Pythonicida. Sunt et aliae aliorum rationes, quas ego, ne prolixior sim, missas faciam: sed te ut uarietate detineam, ex diuersis etiam etymologiam recensebo. Pythium igitur, quidam, quos inter Phurnutus est, dictum autumant, ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι, hoc est ab interrogando et perscrutando, quod uidelicet ad Pythium deum scitandi oraculi gratia mortales proficiscerentur. Quam opinionem Macrobius impugnat: Non, inquit, Apollo Pythius ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι, id est a consultatione oraculorum dictus a physicis existimatur, sed ἀπὸ τοῦ πύθειν, id est a putrescendo, quod nunquam sine ui caloris efficitur. Alii dictum putant a loco seu urbe πύθοι, apud Delphos, uel Delphis ipsis, quae primo Nape, dein Petroessa, postea Crissa, denique Pytho appellata est: qui locus, ait Phurnutus, dictus est ὄμφαλος τῆς γῆς, id est terrae umbilicus, iuxta illud in Priapeiis,

Delphi Pythius orbis umbilicus.

quod tamen Varro et simul Phurnutus impugnant, quod ὀμφὴ, id est diuina uox ibi funderetur, a qua uoce et Panomphaeos Iupiter dictus, ut in Ioue et Delphico plenius ostensum est. Porro Phytius, id est φύτιος, Sol ac Iupiter dicti, teste Hesychio, nisi corrupte legatur. sane et Pythaeum Apollinem etiam cognominatum apud Hermionenses legimus, ut Pausanias auctor est, qui ait Pythaei nomen ab Argiuis acceptum. nam ad hos Apollinis filium peruenisse memorant, id quod est a Telesilla poetria proditum. Sed demum quoniam haec Pythica Apollinis sententia habetur, Cognosce te ipsum: hoc est γνῶθι σ΄αὐτὸν: libet etiam hic in studiosorum gratiam afferre, quae ex Stobaeo didici, ex Porphyrii philosophi excerptis. ait enim, illud sacrum fuisse praeceptum in Pytho, quod siue (inquit) Phemonoe hoc ad omnes res humanas utilissimum deprompserit, siue Panathea Delphi filia, siue Biantis, uel Thaletis, uel Chilonis, seu anathema quodpiam ex inspiratione diuina effusum: siue, ut Clearchus tradit, Pythius ipse deus Chiloni ita responderit, interroganti quidnam tandem hominibus optimum esset: siue etiam ante

Chilonem in templo illud ipsum inscriptum fuerit, ut Aristoteles aliique plures existimant. unde subdit, certissimum esse, hanc ipsam sententiam a deo quidem uel ortam esse, uel non sine Deo. Et haec quidem breuiter ex Stobaeo, meis uerbis. [p.318]

Cynthius Apollo uocatus, ut notissimum est, a monte Deli, ut Festus scribit. Dicta est et Cynthia Diana: ut illud est poetae,

Cynthius impositis temperat articulis.

atque ideo haec paucis explicui, quoniam poetis cantatissima.

Didymaeus quoque Apollo dictus, multaque ueneratione cultus, idem et Milesius, quod eius celebre fuerit fanum apud Miletum. Orpheus in hymno,

βάκχιε, καὶ διδυμεῦ ἑκαεργὲ, λοξία, ἁγνέ.

Scribit Macrobius Didymaeum appellatum, quod geminam speciem sui numinis praeferre putaretur, illuminando formandoque Lunam. nam δίδυμοι gemini dicuntur. etenim ex uno fonte lucis, gemino sidere, spacia diei et noctis illustrantur. unde et Romani Solem sub nomine et specie anni, Didymaei Apollinis appellatione uenerabantur, ut ait Macrobius. Pomponius Mela de Ionia agens: Primum, ait, a Possideo promontorio inflexum inchoans, cingit oraculum Apollinis, dictum olim Branchidae, nunc Didymi. Strabo item libro decimoquarto: Post Possideum, inquit, in Asia fuisse Milesium oraculum, Apollini Didymaeo sacrum, apud Branchidas, ad XVIII stadia ascendenti: idque a Xerxe incensum fuisse, uti etiam reliqua templa omnia, Ephesio excepto. et paulo post subdit: Hoc loco de Brancho et Apollinis amore conficta est fabula. unde mirum est, uirum doctum et polyhistora, Dindymaeum hunc Apollinem appellasse. Sozomenus in historia, ubi de Licinii interitu agit, huius oraculi ita meminit: Denique etiam Graeci dicunt, tunc eum expertum diuinationem Milesii Didymaei Apollinis, eique consulenti de bello, respondisse deum per hos Homeri uersus:

O senior, seruat iuuenis te miles in armis,

Te dure excipiet senium, et tua uita soluta est.

In uulgatis Sozomeni excerptis pro Milesii et Didymaei, latinus interpres parum hoc tenens Miletii et Gemini interpretatus est. Milesii quoque oraculi Apuleius meminit in quarto de Asino, in Psychae fabula. Apulei uerba apposui, parum apte ab interpretibus exposita. haec autem sunt: Sed infortunatissimae filiae miserrimus pater, suspectatis coelestibus odiis, et irae superum metuens, dei Milesii uetustissimum percunctatur oraculum, et tanto numine precibus et uictimis ingratae uirgini petit nuptias et maritum. Sed Apollo quanquam graecus et Ionicus, propter Milesiae conditorem sic latina sorte respondit. Haec ille. Non refello interpretes, sed ego ita expono: propter Milesiae conditorem, non dictum de urbe intelligo, nam cur ideo latine respondisset: sed ad fabulam Milesiam refero, quam scribebat Apuleius, ut ille statim a principio Operis proposuit: et ad Apulei personam refero, [p.319] qui latine Milesiam fabulam scribebat. Citatur uero et hoc oraculum cum ab aliis, tum etiam a Lactantio Firmiano libro quarto, super Christo.

Hecatombaeus Apollo ab Atheniensibus dictus, a quo Hecatombaea celebritas, et certamen, ut Hesychius scribit. de Hecatombaeone uero, primo Atheniensium mense, abunde in libro de Mensibus annis et reliquis actum est, item et in Iouis cognominibus.

Μίτρας καὶ μίτριος apud Persas Sol, et eorum primus deus, ut ait Hesychius. Mithras, ut Osthanes, et ab eo Lactantius grammaticus, in antro colebatur, cuius simulachrum fingebatur leonis uultu, habitu Persico cum tiara, ambabus manibus reluctantis bouis cornua retentare: quo significabatur, Lunam ab eo lumen accipere, cum incipit ab eius radiis segregari. ipsa enim indignata sequi fratrem, occurrit illi, et lumen subtexit, obscuratque. ideoque in antro esse dicitur, quia eclipsin patitur. Sol igitur, id est Mithras, ideo leonis uultu, quia Sol leonem signum principale habet: uel quod, ut leo inter animalia, ita Sol inter sidera excellit. Luna uero, quod tauro propius adhaereat, uacca, id est boue figurabatur. Sed haec confuse licet et implicite, pluribus tamen explicare uisus est Lactantius, in eius hymni extremis uersibus ad Apollinem, qui legitur in primo Statianae Thebaidos:

Adsis o memor hospitii, Iunoniaque arua
Dexter ames, seu te roseum Titana uocari,
Gentis Achemeniae ritu, seu praestat Osirin
Frugiferum, seu Persaei sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mithran.

Claudianus ita quoque cecinit:

Defixaeque hospite pulchro
Persides, arcanum suspirauere calorem,
Thuris odoratae cumulis, et messe Sabaea
Pacem conciliant arae, penetralibus ignem

Sacratum rapuere adytis, rituque iuuencos
Chaldaeo strauere magi. Rex ipse micantem
Inclinat dextra pateram, secretaque pelli,
Et uaga testatur uoluentem sidera Mithram.

Mithrae meminit Strabo et Suidas. item Martianus ad Solem: Memphis, inquit, ueneratur Osirin, Dissona sacra Mithran. In Persidis montibus Zoroaster primus antrum floridum Mithrae dicasse fertur, prope fontes: ex quo postea mansit religio, ut ubicunque coleretur, antrum [p.320] uel specus similiter eius templi loco statueretur. Scribit D. Hieronymus ad Athletam: Ante paucos annos propinquus uester Gracchus nobilitatem patriciam sonans nomine, cum praefecturam gereret urbanam, nonne specum Mithrae et omnia portentosa simulachra subuertit? Porphyrius quoque in commentario antri Nympharum ex XIII. Odysseae, Primum, inquit, Zoroastres apud Persas, ut narrat qui Mithrae historiam multis uoluminibus scripsisse traditur Eubulus, naturalem speluncam et fontibus scatentem in proximis Persidis montibus consecrauit in honorem rerum omnium auctoris, parentisque Mithrae, ut per speluncam quidem mundum significaret fabricatum a Mithra: per alia uero quaedam intus congruis interuallis disposita, elementa et plagas mundi deliniaret. Et paulo post subiungit: Mithrae uero congruum assignare locum ad aequinoctia: quapropter gladium fert arietis, qui Martium animal est: inuehiturque tauro Venereo, quod scilicet ut taurus, sic et Mithras generationis dominus sit. haec ibi Porphyrius philosophus. Scribit Origenes Adamantius libro VI. aduersus Celsum, de Mithrae sacris, ipsius Celsi uerba afferens in hunc modum: Haec quidem Persarum disciplina ostendit et Mithrae sacra, quae apud hos sunt, et in his duplex circumactio stellarum praetenditur, fixarum, errantiumque, et per has animae transitus. cuius in rei argumentum scala erigitur altior, in ea septenae sunt portae: ex plumbo prima, secunda ex stanno, tertia ex aere, ex ferro quarta, quinta ex nomismatis corio, ex argento sexta, septima ex auro constat. Primam Saturni esse statuunt, plumbo astri tarditatem significante: Veneris secundam, cui et stanni cum splendorem, tum molliciem comparant: tertiam Iouis, ut aereis gradibus solidissimam: Mercurii quartam, operum enim omnium et negotiorum tolerantissimum, lucraque factitantem, callidum insuper et eloquentem, Mercurium dicunt: Martis quintam, ob inaequalem admixtionem, et uariam: sextam Lunae, argenteam: Solis septimam, quae aurea sit, perinde atque astrorum haec imitetur colorem et coeli. Haec uel Celsus, uel Origenes, qui et alibi huius dei Mithrae meminit. Porro a Mithra, Mithriaca sacra dicuntur apud Lampridium in uita Commodi: quae qualia essent, dum explicare Crinitus satagit, mihi causa fuit, ut historiam altius multo repeterem. Suidas: Mithram, inquit, existimant Persae Solem esse, cui et multas consecrant hostias, neque quisquam eius sacris initiari potest, nisi per quosdam gradus conuicii: quibus ostendat se et sanctum, nec perturbationibus affici. Consona Tertullianus in libro de Corona scribit. ait enim: Mithrae miles cum initiatur in spelaeo, in castris uere tenebrarum corona interposito gladio sibi oblatam, quasi munus [p.321] martyrii, etc. D. quoque Gregorius Nazianzenus in priore in Iulianum Caesarem oratione Mithrae meminit, quo loco qui graece eius collegit historias: Mithra, inquit, id est Sol, cui celebritates fiunt, et in primis a Chaldaeis: cui deo qui uolunt initiari, XII contumeliis afficiuntur, et per uerbera, calorem, frigus, et alia huiusmodi. unde a Theologo, inquit, haec contumelia uocatur ἔνδικος κόλασις, quod scilicet iuste ea poena afficiantur. uerba haec sunt: Neque Mithrae apud nos cruciatus, et iusta supplicia, his quibus talibus sacris persuadentur. Mithrae meminit et Procopius. Haec igitur ipse sacra Mithriaca puto, quae homicidio Commodus polluit, ut est apud Lampridium. Zoroaster, ut est apud Plutarchum in Isidis et Osiridis libro, tres in primis deos constituit: primum Oromazon, bonum: alterum Aramanum, malum: illum luci, hunc obscuritati similem: tertium uero, id est μεσίτην, quem Mithran appellauit. Agathius libro II. historiarum de Persarum moribus et religione agens, inter multa quae recenset, eos ait duos deos, ut Manichaeos, constituere, quibus et barbara nomina pro sua lingua imposita sunt. Bonum nanque deum, siue creatorem, Ormisdatin dicunt: Arimanes, pernicioso ac malo daemoni est apud hos nomen. Sedenim apud Stobaeum lego nomen huius dei non Oromazen, sed ὡρομάγδαν. Maximum enim deorum Magos ait uocare Oromagdan, cuius aiunt corpus luci simile, animam uero ueritati. Sed ut ad Mithram redeam, scribit Duris in septimo historiarum apud Athenaeum, Persarum regibus uno

tantum die permitti, ut ebrii fiant, quo die Mithrae deo sacra fierent. Est et apud Dionem in historiis Tiridaten regem Neroni dixisse, se perinde ac Mithran eum adoraturum. Xenophon in Oeconomico ita Cyrum iurantem inducit: Iuro, inquit, tibi o Lysander per Mithran, quem nos omnium deorum maximum habemus. D. etiam Epiphanius in libro contra haereses III. de Marcione agens, qui sacram scripturam corrumpebat: Dixit, inquit, quidam proprius ipsorum poeta, Cretenses semper mendaces, malae bestiae, uentres pigri: per quae uerba Epimenidem indicat, ueterem philosophum, et templi Mithrae, siue Solis apud Cretenses sacerdotem. hoc quidem Epiphanius. quibus ex uerbis colligimus, non apud Persas solum, et Chaldaeos, sed aliubi etiam Mithram cultum fuisse. quin et Mithrae quoque templum fuisse Alexandriae, et sacra summo cultu exhibita: id quod notauimus in Tripartitae historiae libris.

Philesius Apollo etiam nuncupatus, ut scribit Lactantius in commentario libri octaui Thebaidos cui templa consecrata fuere, quae ab osculo dicta sunt Branchi pueri Apollinis dilecti: siue, ut alii dicunt, filii. nam praegnantem matrem per quietem uidisse, Solem se inserentem ei per fauces ferunt, qui post per uentrem exierit, unde puero factum [p.322] fuit nomen: siue a certamine basiorum puerorum, Philesia nuncupato, Phylesius dictus est. Meminit et his uerbis Macrobius: Apollo Philesius a physicis dictus, lumen eius exoriens amabile, amicissima ueneratione osculorum consalutamus. Plinius uero Naturalis historiae XXXIIII. Canachus, inquit, Apollinem nudum, qui Philesius cognominatur, in Didymaeo Aeginetici aeris temperatum fecit. Sed si plura de Brancho, et Branchiadon oraculo, et Philesio legere cupis ex Varronis libro diuinarum, Lactantium eodem libro legito, itemque tertio. meminit et Terentianus, et Strabo: sed et Buccatius, qui nactus Lactantii codicem minus lacunosum, fabulam in quinto suarum Genealogiarum explicat.

Smintheus Apollo dixit. Ouidius in Fastis:

Consulitur Smintheus, lucoque operatus opaco,

Hos non mentito reddidit ore sonos.

Frequenter in poetis graecis, Homero, Orpheo, aliis. cognominatus uero a muribus. Causa uarie proditur. Crinis Apollinis fuit sacerdos. is cum dei sacra neglexisset, a terrestribus muribus agrorum fructibus est priuatus. cuius detrimento damnoque commotus Apollo, bubulco cuidam Hordae nuncupato iussit, ut Crinin sacerdotem moneret, illum debere consueta sacra peragere. quod sacerdos cum fecisset, Apollo mures sagittis confecit: hinc Apollo Smintheus cognominatus est. Sminthas enim Cretenses mures uocant. Aelianus de Animalibus id tradit, mures adorari ab his qui Troadis Amaxitum incolunt: unde Apollinem qui apud eos maxima religione fuit, Sminthium appellabant. mures enim, Aeoles et Troiani Sminthes nuncupant: sicut Aeschylus in Sisypho testatur, cum ait, Sed agrestis quis est Sminthius. tum uero apud eos sminthas cicures alunt, eisque uictus publice praebetur, atque infra altare, ubi degunt, latebras habent. Apud etiam tripodem Apollinis mus fuit, de quo etiam fabulam idem Aelianus recitat. Strabo uero libro XIII., aliam historiam seu fabulam, ut ipse ait, recenset: In urbe, inquit, Chrysa est Apollinis Sminthei delubrum et simulachrum, quod nominis ueritatem seruat. nam mus quidem pedi statuae subiacet. hanc statuam Scopas Parius fecit. Historia siue fabula, quae de muribus narratur, huis loco congruit. nam Teucris e Troia profectis (de quibus primo Callinus elegiae poeta tradidit, post multi secuti sunt) datum erat oraculum, ibi eos sedem posituros, ubi terrigenae eos adorirentur. id circa Amaxitum dicunt contigisse, maximamque agrestium multitudinem murium noctu exortam, quicquid armorum et utensilium ex corio inuenisset, corrosisse, et Teucros ibi mansisse, atque Idam ab Ida quae in Creta est appellasse. Heraclides Ponticus auctor est, mures ibi circa templum abundare, et sacros existimari: [p.323] simulachrum autem ita instructum esse, ut murem pedibus premat. Quidam tamen Smintheum, quasi ζεῶν θεῖν, hoc est, quod feruens currat, ad Solem respicientes, appellatum uolunt. Sane in locis plurimis Smintheus Apollo cultus fuit, nec templa solum illi posita, sed et loca aliquot Sminthia ait appellata, ille idem Strabo. Porro antiquos uidemus a paruis rebus plerumque deis cognomina imposuisse, uti a muribus Apollo Smintheus dictus: a culicibus Hercules, quos Oetaei conopas uocant, Conopeus: et Ipoctonus, a uermiculo ipe, uineis infesto, ut in Hercule diximus. Rhodiique quoque a rubigine, quam ἐριθύβην uocant, Apollinem

Erithybium appellauere: et Boeotii Pornopionem itidem Apolline coluere, quoniam illi πορνόπας culices uocant: explosa pridem eorum sententia, qui Murinum interpretati sunt pro Smintheo, apud Martialem illo uersoculo,

Campis diues Apollo sic Murinis.

Sunt et qui putant de Apolline illud Plinii intelligi: Fecit Praxiteles et Apollinem puberem, subrepenti lacertae comminus sagitta insidiantem, quem Sauroctonon uocant, hoc est lacerticidam. Sed iam ad alia transeamus.

Πασπάριος Apollo, quasi totus Parius, teste Phauorino, cognominatus a Pariis et Pergamenis.

Horus etiam Apollo dictus est ab Aegyptiis, quod pluribus ostendit Plutarchus in Isi et Osiri. unde et eo nomine Sol etiam ab iisdem uocatus, teste Macrobio, et Censorino in libro de Die natali: a quo Horae dictae diei partes, et anni tempora, ut plenius in nostro scripsimus de Annis mensibus etc. Videtur tamen Plutarchus Horos duos constituere: primum quidem antiquiorem, ob tenebras caecum, qui Arueris dictus, natus secundo die, cum necdum mundus esset perfectus, sed mundi simulachrum erat, et effigies quaedam: alterum autem Horum perfectum et absolutum, cuius simulachrum in Copto urbe tradunt fuisse, altera manu Typhonis pudenda continere. Hori sacerdotes, scribit Epiphanius in quarto de Haeresibus libro et Harpocratis, capite rasos, ferre impudenter seruile et detestabile puerile signum: et caetera quae ridet idem Diuus scriptor. sed et alia plura de hoc Horo Apolline produntur, quae ad occultam rerum interpretationem et naturae pertinere credebant, quae nostri non uidentur esse instituti. Diodorus Siculus Aegyptiorum deos commemorans, Horum ait Isidis filium per insidias a Titanibus interfectum, inter aquas inuentum, a matre ad uitam reuocatum, factumque immortalem. Hunc Apollinem interpretatur, medendique et uaticinandi peritissimum fuisse. Sane et ab Hermionensibus Horius, hoc est ὅριος Apollo, id est Terminalis et dictus et cultus fuit. Vt enim coniectatur Pausanias cum aliquando Hermionenses de finibus uel bello uel iudicio contenderent, et uictores facti essent, ἀπόλλωνι ὁρίῳ rem sacram fecere, et templum aramque construxerunt. Sunt [p.324] nonnulli, qui quod deus sit διαλεκτικότατος, id est maxime dialecticus, ideo Horium appellatum arbitrati sunt. Porro et graecorum et latinorum quidam Orum Apollinem, sine afflatus nota scribunt.

Platanistius Apollo cognominatus, teste Pausania, cuius templum fuit uia Troezenia, quae ad Hermionem ducebat, secus petram, quae prius Sthlenii Iouis ara dicebatur, mox uero Thesti dicta fuit.

Thearius Apollo colebatur a Troezenios, cuius templum Pausaniae aetate uetustissimum habuit simulachrum, ab Aulisco dedicatum. Legimus et θεώριον, apud Hesychium, Apollinem nuncupatum.

Tortorem etiam Apollinem a Latinis nominatum uidemus, ut apud Suetonium notatur. quin et in urbe colebatur, ut Domitius testatur.

Hyperionides, et Hyperion etiam cognominatus est Sol, et id quidem frequenter, non modo graecis, sed et latinis poetis. nam Hyperionis Titanis filius fuisse fingitur, ut in Titea meminimus. quin etiam Titan ideo appellatur. Sed et Hesiodus eius genus recenset in theogonia. Vel si ad rem physicam referas, unde dictus traditur ab eruditis, παρὰ τὸ ὑπὲρ ἡμᾶς ἰέναι, quod uidelicet super nos eat. Diodorus tamen scribit: Hyperion reuera solis, lunae, et caeterorum astrorum motus horasque primum summa cura obseruauit, et a se percepta caeteris quoque popularibus noscenda prodidit: ideo horum parens dictus est.

Φαεσίμβροτος Apollo ab Homero caeterisque poetis cognominatus, a φαὸς lumen, et βροτὸς mortalis, quod sua luce mortalia iuuet. quidam et φαυσίβροτος apud Pindarum eadem ratione legunt.

Ἐπιτρόπιος Apollo, teste Dionysio Alicarnasseus in IIII. historiarum a Doribus cultus, cui templum eo apparatu struxerant, ut in eo conuenirent ad consilia, caeteraque negotia obeunda. Sed et Episcopon aliquando legimus cum apud alios, tum apud Phurnutum: μουσαγέτης, inquit, Apollo uocatus est, et ἐπίσκοπος, et cum Musis ludere existimatus est.

Μαλλόεις Apollinis cognomen, ait Hesychius. Malloentis Apollinis festum celebrasse Mitylenaeos extra urbem accepimus, cum totius ciuitatis frequentia: ut in tertio testatur Thucydides.

Maleaticus Apollo, uel Maleates, ut Pausanias ait, a Maleo nuncupatus est, qui Tyrrhenorum rex, ut in quarto Thebaidos

scribit Lactantius, primus tubam inuenit, cum piraticam exerceret. Sed cum mare tempestatibus agitaretur, montem insedit, quem de suo nomine Maleam, et Maleaten, seu Maleaticum Apollinem in eo nominauit.

Ἡμεροδρόμος, id est Cursor diurnus Sol et Phoebus cognominati, quod uidelicet diurno cursu sol mundum omnem peragrat, unde et illi nomen. meminit uero et Pollux in primo.

Bel, seu Beles Apollo dictus est ab Aquileiensibus Italiae, de quo Herodianus libro octauo historiarum. Caeterum, inquit, nonnulla quoque oracula ferebantur, patrii cuiusdam numinis, uictoriam promittentia: Belem uocant [p.325] indigenae, magnaque cum religione colunt, Apollinem interpretantes, cuius etiam speciem pro urbe ipsa pugnantem quidam e militibus Maximini uisam sibi in coelo affirmabant.

Ἑκατηβελέτης, et ἑκατηβόλος, et ἑκαβόλος Apollo cognominatus, quibus nominibus et graeci et latini usi sunt, a longe iaciendo uel radios, uel sagittas, deduci uidentur. Certe Homerus in primis, et Orpheus, caeterique poetae ita nuncupant, ut est uidere, et ut etiam grammatici obseruant. notissimus est uersiculus apud Suetonium, Noster erit Paean ille Hecatebeletes. Macrobius in primo Saturnaliorum, Sagittarum, inquit, nomine non nisi radiorum iactus ostenditur: qui tunc longissimi intelliguntur, quo tempore altissimus Sol diebus longissimis, solstitio aestiuo, conficit annuum cursum, unde ἑκηβόλος dictus Apollo, et ἑκατηβόλος, id est longe iaciens, et e longissimo altissimoque radios in terram usque demittens. Phurnutus ἑκατηβόλος Solem et Lunam appellatos prodit, quod uterque radios longe iaculetur. Proclus in Cratylum Platonis: Hecatebeletes, inquit, ideo dictus, ὅτι χορηγὸς ὢν, καὶ ἐξηρόμενος ἐπὶ πάντας ποιεῖ τὰς ἐνεργείας. id est, cum sit Choragus, et eximius, in omnes efficit energias et efficacias.

Ἑκάεργος, Hecaergus Apollo a poetis, et in primis Homero cognominatus, teste Heraclide Pontico in Allegoriis, non ab Hecaerge, quae ab Hyperboreis in Delum uenit, ut fabulantur: sed quod a longe operetur: hoc est, ὅτι τὰ ἕκαθεν ἐργαζόμενος. Vel, ut ait Hesychius, ὅτι μακρόθεν εἴγων τοῖς βέλεσιν. uel ut in Pythiis Pindari notat interpres, quod procul spargat radios, et eminus operetur. quo loco Pindarus inducit Cyrenen nympham, admirantem Apollinem, quod sagittis leones conficeret: et eum etiam εὐρυφαρέτραν appellat, a lata scilicet pharetra, qua ceu uenator per iuga Cynthi feras transfigat, uel morborum iacula iaciat. Sed et Hecaerges Diana cognominata est, ut suo loco dicemus. Scribit Phurnutus Hecaton solem, et Hecaten lunam appellari, παρὰ τὸ ἕκαθεν δεῦρο ἐφιέναι καὶ ἀποστέλλειν τὸ φῶς, a longa scilicet missione lucis. Sunt qui his aliam afferrent etymologiam, quod scilicet Hecato et Hecatae nomina imposita sint, cum preces effunderent: hos deos rogabant, ut mala auerterent. Nam interdum aera inficere putabant, ac pestilentias inducere, ut est apud Homerum in primo Iliados. Adhaec in quarto scribit Strabo, quod ἑκατὸς Apollo est: unde Hecatonnensi, quasi Apollinensi, quod per totam eam regionem Apollo coleretur, circa Lesbum et Troiam. quo loco illud docet, ex instituto antiquorum literam n n geminari in his nominibus, Hecatonnesus, Peloponnesus, Proconnesus, Chersonnesus, et caeteris.

Pagasaeus Apollo etiam cognominatus est. Hesiodus in Aspide, [p.326] πᾶν δ᾽ἄλσος καὶ βωμὸς ἀπόλλωνος παγασαίου. id est, Totum uero nemus Pagasaei et Apollinis ara. dictus autem, ut Apollonii Rhodii commentatores scribunt, quod Pagasis templum haberet in promontorio Magnesiae, quo loco compacta fuit nauis Argo. Eadem ferme Phauorinus et Callimachus apud Hyginum. Scepsius tamen a πηγαῖς, id est fontibus, quod multi in illis locis fluere dicuntur, dictum existimauit. Hunc παγασίτην Apollinem ab Achaeis et Thessalis appellari, ait Hesychius.

Ἄναξ, id est rex Apollo nuncupatus fuit. Aristophanes in Pluto, ἄναξ ἀπόλλων καὶ δεοὶ, Rex Apollo et dei. Sic et frequenter Homerus. Solon quoque in ea pulcherrima elegia, quae apud Stobaium legitur de iustitia, ita canit,

ἄλλον μάντιν ἔθηκεν ἄναξ ἑκάεργος ἀπόλλων. hoc est,

Rex alium uatem statuit iaculator Apollo.

Dicimus et ὤναξ, pro ὦ ἄναξ. Orpheus,

ὤναξ πυθῶνος μεδέων ἑκατηβόλε μάντι. hoc est,

O rex Pythonis dominans Hecateuole uates.

Item, ὤναξ παιὰν, ὦ βασιλεῦ, ὁ κακὰ παύων ἄπολλον, ut exponit Hesychius. id est,

O rex Apollo, qui mala quiescere facis.

Notant grammatici, quod ἄναξ dicitur ab ἄκος, quod medelam curamque significat: et anaces quod curam habeant, ut Plutarchus et

Eustathius testantur. primi autem hoc nomine Castor et Pollux dicti sunt, quod nauigantium curam gererent. Sed et caeteri dei Anaces dicti, praeter Iouem qui βασιλεὺς uocatur.

Clarius Apollo dictus a Claro urbe Asiae, ut Mela Pomponius ait, ubi Clarii, inquit, Apollinis fanum, quod Manto Tiresiae filia fugiens uictores Thebanorum Epigonos statuit. Plinius uero libro secundo: Colophone, ait in Apollinis Clarii specu lacuna est, cuius potu mira redduntur oracula, bibentium breuiori uita. Nam, ut Iamblichus etiam scribit, ibi epota aqua oracula reddebantur: quod etiam noster Picus. Illud ibi traditur, non foeminam, ut Delphis, sed certis e familiis sacerdotes, aut ex Mileto accitos, et plerunque literarum ignaros, hausta fontis aqua uaticinia referre. Sedenim in Claro regnauit Rhacius, ut Pausanias in Achaicis scribit, ex quo et Manto natus est Mopsus. Clarus uero, ut scribit Eustathius, Colophonis nauale fuit, ἀπὸ τοῦ κλήρου, id est a sorte, quod per sortem Apollini obtigerit: ubi ipsius dei oraculum fuit. Sed enim Isaacius Lycophronis interpres, Clarum montem et urbem, non longe a Colophone ponit, ubi fuerit Clarius Apollo. Apollonii item interpretes Claron ciuitatem propinquam Colophoni scribunt, Apollini sacram, ubi oraculum ipsius dei a Manto Tiresiae filia constructum fuit. Alii ferunt ab heroe quopiam Claro, ut Theopompus prodidit. Nearchus uero ait, a sorte, id est ἀπὸ τοῦ κλήρου. Sed si plura hac de re forte scire cupis, eosdem legito interpretes, [p.327] qui ex iis qui Thebaida scripserunt, plura collegere. Rhacii enim historiam, et Mantus, omnem perscribunt, quo scilicet pacto in Asiam peruenerunt.

Ἐπιβατήριος, id est consensor Apollo cognominatus apud Troezenios, in quo loco fuit conseptum Hippolyti. Inibi quoque templum quod a Diomede dicatum fuit, ἐπιβατηρίου Apollinis, id est adiuuantis ascensum, post eam tempestatem, qua post Troianum excidium graeci quassati sunt. auctor est Pausanias in Corinthiacis. de Embasio post agendum est.

Thyrxeus Apollo etiam cultus: cuius oraculum, hoc est, ut scribit Pausanias χρηστήριον ἀπόλλωνος θυρξέως, fuit apud Cyanaeos, qui ad Lyciam fuere. ex quo aqua habebatur Cyaneis: in cuius fonte si quis intueretur, quaecunque uolebat intuebatur. Mouet me uocis similitudo, ut hic subiungam et Thyreum Apollinem nuncupatum graecis, ut Nigidius et Macrobius scribunt. eiusque dei aras ante fores statuebant, eum deum significantes introitus et exitus potentem, ἀπὸ τοῦ θύρης, id est ab ianua nuncupatum. Eiusmodi et Anthelii dei habebantur, qui pro foribus aedium statuebantur: sic enim antiqui subdiales statuas, quae soli essent expositae, uocabant, ut scribit Hesychius, ab ἀντὶ καὶ ἥλιος. Septimius Florens Tertullianus in libro de Coronis: At enim, inquit, Christianus nec ianuam suam laureis infamabit, si norit quantos deos etiam hostis diabolus finxerit, Ianum a ianua, Limentinum a limine, Forculum et Carnam a foribus et cardinibus, et apud graecos Thyraeum Apollinem, et Anthelios daemonas. haec quidem Tertullianus docte et erudite.

Προσατήριος Apollo cognominatus, quod ante ianuas statueretur, quod in Electra Sophocles innuit. quidam Prostatium interpretati sunt. Pausanias uero in Attica, ait ex descensu e foro per uiam εὐθείαν, id est rectam, ad dextram templum fuisse Apollinis Prostaterii. Prostaterii etiam Hesychius Apollinis expositionem attulit.

Δειραδιώτης, Deradiotes Apollo cognominatus fuit. quidam δείρας quendam esse locum tradunt. Valerius Arpocration δείραδες populum esse Leontidis, a quo popularis δειραδιώτης formetur. alii δείρας Argiuam regionem esse prodidere. Pausanias uero, Diradioten ait Apollinem a loco dici, cuius uaticinium etiam sua tempestate durare asseruit: eoque ritu fieri, ut a uiro mulier secubaret, et singulis mensibus noctu, ut de agno rem sacram faceret, cuius agni sanguine epoto, numinis Apollinei instinctu responsa daret.

Dicaeum etiam, si non Dircaeum, Apollinem Plinius libro uigesimoquarto, capitulo octauo uocasse uidemus, ubi de Leontio statuario agit: Fecit, inquit, item Apollinem citharoedum, serpentemque eius confici sagittis, qui Dicaeus appellatus est: quoniam cum Thebae ab Alexandro caperentur, aurum a fugiente conditum, sinu eius celatum esset, [p.328] etc. Dicaeum tamen, id est iustum, Hermolaus Barbarus interpretatur: quoniam et Menander γήδιον δίκαιον dixerit, id est iusta terra, quae reddat quod accepit.

Palatinus Apollo a Romanis appellatus, qui in Palatio ab Augusto dicatus fuit, cum porticu et bibliotheca, post Actiacam pugnam, deuictis

praelio nauali M. Antonio et Cleopatra: qua de re erudita extat Propertii elegia, cuius initium est,

Musa Palatini referamus Apollinis aedem.

Suetonius meminit cum alibi, tum in eo: Templum, inquit, Apollinis in Palatio struxit. Plura Dion libro historiarum LIII. Horatius item in Epistolis:

Scripta Palatinus quaecunque recepit Apollo.

Item in Odis libro I.

Quid dedicatum poscit Apollinem Vates.

Et ibidem Porphyrion. hic idem Palatinus et Naualis dictus, a Propertio:

Hic ubi Nauali stant sacra Palatia Phoebo,
Euandri profugae procubuere boues.

Plinius a Scopa Palatinum Apollinem factum scribit. Idem et Palatinam Venerem memorat, libro XXXVI. Ammianus autem Marcellinus libro XXIII., Comaeum Apollinem ex Seleucia Romam delatum scribit, collocatumque in aede Apollinis Palatini. qua de re alibi.

Actius, et Actiacus, et Actaeus Apollo uocatus uariis de causis: in primis tamen ab Actio promontorio, et ciuitate Arcananum, ut Stephanus scribit, qui et a Magnesiae urbe Acte Actium et Epactium eundem deum cognominatum tradit. Callimachus apud Hyginum, de Argo, in finibus Magnesiae ad Actii Apollinis templum, quod Argonautae proficiscentes statuisse existimant, Argon constructam fuisse dixit. Legimus, cum Apollini Actio celebritas ageretur, id miraculi contingere solitum, ut cum Leucadii bouem immolassent, muscae eo sanguine distentae omnes euanuerunt. Tum sine muscis deinde festum peragebatur. Sunt qui Actium et Epactium littoralem interpretentur, ab acta, id est littore, ut apud Orpheum et Apollonio In Argonauticis: ut in eo, ζηνὶ πανομφαίῳ καὶ ἐπακτίῳ ἀπόλλωνι. Sed ab Actio denominatio celebris, ab uictoriam Augusti contra M. Antonium, et Cleopatram reginam. Vergilius,

Actius haec cernens arcum tendebat Apollo.

Propertius:

Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod eius
Vna decem uicit missa sagitta rates.

qua elegia totam historiam complexus est, quae apud scriptores est celebratissima. Idem et Leucadius deus dictus est. Idem Propertius:

Leucadius uersas acies memorabat Apollo.

Ouidius,

An quae Leucadio semper amata deo.

a Leucate scilicet promontorio, Leucadius deriuatus est. Dion libro L. et Strabo libro [p.329] septimo de Actio Apolline, de ludis, deque caeteris copiose agunt. sed et libro X. deque Leucadio Apolline. Ex his, ut puto, uersus in tertiodecimo Metamorphoseon Ouidii intelliges, qui existimantur difficillimi.

Praeter erant uecti certatam lite deorum

Ambraciam, uersique uident sub imagine saxi,

Iudicis, Actiaco quae nunc ab Apolline nota est.

per ἀντίληψιν enim hanc historiam poeta exprimit: Lite deorum, inquam, quoniam ex parte Augusti dei Romani, et Apollo in primis: Antonii uero et Cleopatrae, dei Aegyptii, Anubis, Osiris, Isis. Sed quod Aeneas in Ambraciam et ea loca peruenit, copiose describit Dionysius Alicarnasseus. Iudicis uero, quia iustam Apollo Augusto causam iudicauit. atque ideo nota ab Actiaco Apolline. uel Indicis, nam et sic legitur, totumque hoc scriptum a poeta ingeniosissimo in Augusti gratiam, quomodo et a Vergilio saepe.

Theoxenius Apollo uocatus, hoc est hospitalis deus, a Pellenensibus in Achaia, apud quos eius dei templum fuit, ad quod certamen nomine Theoxenia celebrabatur, uictoriae cuius praemium argentum fuit, ut Pausanias docet. Pindari tamen interpretes in Olympiis non argentum, sed χλαίναν scribunt (genus id uestis, παρὰ τὸ χλαίνειν, id est calefacere, teste Polluce) Instituta Theoxenia a Castore et Polluce, iidem interpretes alibi asserunt, a deorum hospitio et commercio uocata. de Theoxenio et Strabo meminit.

Hysius Apollo dictus ab Hysia Boeotiae ciuitate. in huius templo puteus fuisse fertur, ex quo aqua epota sacerdos uerissima responsa reddebat: ut de Clario iam dictum est.

Phaethon etiam aliquando, non modo pro Eridano, id est Solis filio capitur, sed etiam pro ipso Sole: ut, ἠέλιος φαεθὼν apud Homerum, aliosque poetas. unde et Phaethontiades filiae, uel sorores Phaethontis. Quod nomen etsi trissyllabum est per regulam, nonnunquam tamen et bissyllabum inuenimus: id quod et ante alii annotauere, atque ideo nunc ab exemplis supersedeo.

Parrhasius Apollo, qui et Epicurius, in Arcadia et cultus et cognominatus fuit, cuius templum in monte Lycaeo ad orientem positum fuisse legimus, qui et Pythias dicebatur: cui quidem deo quotannis aprum in

foro mactabant, festum diem celebrantes, appellabantque propterea deum auxiliarem ac propicium, hoc est graece ἐπικούριον. cumque uictimam mactassent, actutum cum pompa in templum deferebant Apollinis Parrhasii, sacri missionem facientes. Plura Pausanias in Arcadicis. Epicurii uero fanum in Basse uilla fuit Arcadica: sic cognominati, quod populis illis auxiliatus fuisset in auertenda peste, quemadmodum apud Athenienses in bello Peloponnesiaco Alexicacus: Pausanias. [p.330]

Agyieus Apollo, qui et Agyiates uocatus est, teste Stephano. a uiis cognomentum deductum est: quippe ἄγυια, a qua uoce ἀγυιεὺς deflectitur uiam et uicum significat, ut graeci scribunt grammatici, et apud nostros Macrobius. Idem etiam Phurnutus, qui ait, quod uias illuminet, ubi ille erigebatur. Hinc per contrarium illud dicitur: Sol ceciditque, umbratae omnes sunt undique agyiae. Sophocles in Hermione, ἀγυιεὺς pro locali nomine accipit, non pro deo. Sunt item loca in urbibus, deambulationibus apta, quae agyiea dicuntur, ut Stephanus obseruat. Scribit Pausanias in Arcadicis, Agyieo Apollini Tegeaeates simulachra erexisse, cum Apollo et Diana orbem circumirent, ut eos ulciscerentur, qui matrem Latonam uterum ferentem non recepissent: et reliqua quae multa scribit. Apud Latinos meminit Agyiei Horatius libro quarto Carminum:

Phoebe, qui Xantho lauis amne crines,
Dauniae defende decus camoenae,
Laeuis Agyieu.

Et una Acron et Porphyrion exponunt, licet admodum ambo sint deprauati. meminit et Pollux in IX. et Suidas, et Arpocration, ex quibus plura poteris excerpere. Fuerunt et seorsum dei Agyiei uocati, ut in Commentariis Aristophanis legimus. Agyieis deis, quos inepte quidam sane uestibularios interpretantur, si quid monstri apud Athenienses nunciatum fuisset, sacra faciebant, ad ea amolienda. Est et alicubi apud Pausaniam legere Agyleus, nisi mendosus sit codex. Sunt et qui columnam erectam in eius dei honorem, Agyiea uocent: aras quoque Agyiatidas.

Pataraeus Apollo. Horatius libro tertio Carminum,

Qui rore puro Castaliae lauit
Crines solutos, qui Lyciae tenet
Dumeta, natalemque syluam,
Delius et Patareus Apollo.

Vbi notandum, ab Horatio παταρεὺς trisyllabum proferri, non quadrisyllabum. De hoc sic Mela Pomponius in primo, de Lycia agens: Atque, inquit, ut multa oppida, sic praeter Pataram non illustria. illam nobilem facit delubrum Apollinis, quondam opibus et oraculi fide Delphico simile. Salaciam puellam ex Ophionide ferre sacra Apollini Pataraeo, scribit apud Stephanum Alexander: quae et qualia, apud ipsum lege. Scribit Seruius quarto Aeneidos libro constare, Apollinem sex mensibus hyemalibus apud Pataram Lyciae dare responsa, unde Patareus Apollo dicitur: et sex Aestiuis apud Delum. hinc illud Vergilii: Qualis ubi hybernam Lyciam, Xanthique fluenta Deserit, ac Delum maternam inuisit Apollo.

Myricaeus Apollo cognominatus. fuit uero in Lesbo Apollo, ramos tenens myricae: unde deductum deo cognomen, qui et Myricinus dictus est. [p.331] Scribit Archaeus, uisum fuisse in somnis deum Apollinem cum myricae ramo. Myricam uero uetustissimam esse plantam, illud satis declarat, quod in Aegyptii Iouis pompa corona myricaea coronabantur. plura quidem hac de re leges, deque oraculis per myricae ramos, in commentariis in Theriaca Nicandri, et apud Picum nostrum in hymnorum commentariis. de Myrino Apolline in Grynaeo dictum. In Myrensi quoque sinu Lyciae Apollinis templum fuisse, prodit Aelianus, ad cuius sacerdotem uitulinas carnes destrahentem, orphi pisces adnatare solebant, tanquam conuiuae ad epulas inuitati.

Amiclaeus Apollo dictus est, ut Polybius et Strabo scribunt. Polybius quidem libro quinto historiarum, Amyclae hic (inquit) locus est in agro Spartano, omni arborum et frugum genere refertissimus, distatque a Lacedaemone ad XX stadia, ubi est Apollinis templum, inter caetera eius regionis templa opere diuitiisque praecipuum, situm in ea urbis parte, quae mare aspicit. Et haec quidem Polybius. Meminit uero in octauo Strabo, et Thucydides libro quinto, ubi societas inter Athenienses et Lacedaemonios initur, Lacedaemoniis Athenas euntibus sub Dionysia, Atheniensibus Lacedaemona sub Hyacinthia: erecto apud utrosque saxeo titulo, uno quidem Lacedaemone iuxta Apollinem in Amyclaeo. sed et Athenaeus id scribit, quod cum Lacedaemonii Apollinis Amyclaei simulachrum inaurare uellent, nec per ea tempora aurum in Graecia inueniretur,

oraculum Apollinis consuluere, quid facto opus foret: respondisse ferunt, ut ad Croesum in Lydiam proficiscerentur. Et quod Hieron Syracusarum tyrannus, nec ex Sicilia et Italia et Graecia potuerit habere, ut tripodem Delphico Apollini consecraret. fuit adeo per ea tempora auri penuria, ut et Romani aegre ex mulierum ornamentis aliquando uota persoluere possent, ut Valerius et Plutarchus aliique testantur.

Κύτινος, Cytinus etiam cognominatus est Apollo, ut legimus in commentariis in Theriaca Nicandri. cuius templum fuit in monte Rhescyntho Thraciae: a quo Iuno Rhescynthia, ut suo loco meminimus. Quoniam uero κύτινοι, ut notum est, primi sunt flores qui decidunt ex mala punica, inde uidetur dei nomen esse deductum.

Cynnius quoque uocatus Apollo apud Hesychium, unde et Cynnidae genus Athenis, ex quo sacerdos Apollinis Cynnii creabatur.

Daphnaeus Apollo cognominatus, quasi tu Laureus latine dicas: uel ut alicubi apud nostros legas, Lauriger. Daphnaei Apollinis templum Antiochus, Epiphanes dictus, rex struxit, ut Marcellinus libro historiae XXII. tradit. Arsit uero Iuliani Caesaris tempore. Apollinis item Daphnaei mentio est in primo Graecorum epigrammaton, ubi Thetis Telephum alloquitur. Eius etiam mentio est, si recte recordor, in Tripartitae historiae scriptoribus. Fuit et Daphnites Apollo, a Syracusanis sic appellatus, ut scribit Hesychius. [p.332] Aristophanes uero δαφνοπόλεα uocauit.

Corypaeus, id est κορυπαῖος Apollo, sic a Nicandro cognominatus in Theriacis. de myrica enim agens, ait:

ᾗ αἰὲν ἀπόλλων μαντείας κορυπαῖος ἐθήκατο καὶ θέμιν ἀνδρῶν.

Quo loco Graeci expositores multa de myrica, deque eius uaticiniis, oraculisque, quorum nonnulla in Myricaeo Apolline paulo supra recitauimus. tum et hoc subinferunt: Corype uero Thessaliae ciuitas, unde Corypaeus Thessalicus. Sed et hoc loco Nicandri, alii legunt ὀρόπειος. nam Oropea ciuitas est Boeotiae, quo in loco notabilissimum fuit Apollinis sacrarium, ut ibidem notant expositores. Stephanus uero, (si non potius Hermolaus grammaticus Constantinopolitanus, qui Stephani Epitomen confecit) locum hunc Nicandri nonnihil euarians, citat et interpretatur ex Theone, Plutarcho, et Phalereo Demetrio, expositoribus: Nicander, inquit, Oropaeon Apollinem, ignorat autem quod Amphiarai templum est Apollinis: Oropaeon uero, ab Orope legit. Orope, inquit, Euboeae ciuitas, ubi Apollinis notabilissimum sacrarium. Prius tamen idem scripserat, Coropen urbem esse Thessaliae, unde esset Coropaeus ciuis, et Apollo Coropaeus. Sane et κάρινος Apollo legitur, ut in Pausaniae Attica, quem Verticosum interpretatus est Domitius.

Hylata Apollo, ab urbe Cypri Hyla cognomen accepit, cuius Lycophron et interpres meminere: a qua ciues Hylatae, et inde Apollo: qui et Tembrius quoque dicitur, quod coleretur in eiusdem insulae oppido Tembro. quod et Hermolaus in Plinii Naturalis historiae libro V. annotauit. hi sunt uersus Dionysii ex III. Bassaricon, ut apud Stephanum lego in ἐρυσθείᾳ, quae est urbs Cypri,

οἵτ᾽ ἔχον ὑλάταο θεοῦ ἕδος ἀπόλλωνος

τέμβρον, ἐρυσθείαν τὲ, καὶ εἰναλίην ἀμαμασσὸν.

hoc est, quique tenent Hylatae dei sedem Apollinis, Tembron, Erystheanque, et maritimam Amasson. Meminit Hylatae Apollinis in eisdem nominibus locorum idem Stephanus.

Tegyreius Apollo etiam cognominatus. Stephanus, Tegyran ait Boeotiae ciuitatem, in qua aiunt Apollinem natum fuisse. nam et Semus Delius de Apollinis natiuitate inquit: Alii quidem in Lycia fuisse, alii in Delo, alii in Sostere Atticae, alii porro in Tegyra Boeotiae, inde Tegyreius Apollo cognominatus. Meminit et Callisthenes in III. Hellanicon. Sane a Tegyra Tegyraeus deriuatur, et Tegyrius, et Ionice Tegyreius. Plutarchus uero in uita Pelopidae de Apolline Tegyraeo, deque eius templo miranda scribit, et de Delo monte ibidem propinquo, ac de oliua et palma: qua de re tota in iuuenili quadam annotatione alias memini plura collegisse.

Βοηδρόμιος, Boedromius Apollo ab Atheniensibus cultus fuit, ut [p.333] Graeci grammatici tradunt. nam cum bellum inter Athenienses comparatum esset, Ion Eleusinius eis opem tulit, ob cognationem. inde uictores facti Athenienses, de uoce currentis exercitus ad urbem, Apollinem βοηδρόμιον dixerunt, et solennitatem βοηδρόμια, et mensem βοηδρομιῶνα, qua de re in libro de Annis mensibus et caeteris plura scripsimus. Suidas βοηδρόμια Atheniensium festum scribit, quo

die Xuthus summa festinatione Atheniensibus opem tulit, cum ab Eumolpo Neptuni urgerentur, Athenis regnante Erechtheo. Plutarchus in Theseum retulit, cum uictoriam de Amazonibus reportasset. Sedenim Apollinis Boedromii et Callimachus meminit in hymno,

Phoebe Boedromion multi te nomine dicunt,

Complures Clarium, tibi multum est undique nomen:

Ast ego Carneum patrio te more uocabo.

hoc est, si graeco mauis,

ὦ´ πόλλων, πολλοί σε βοηδρόμιον καλέουσι,

πολλοὶ δὲ κλάριον. πάντῃ δέ τοι οὔνομα πουλὺ,

αὐτὰρ ἐγὸ καρνεῖον, ἐμοι πατρῶιον, etc. quae de Carneis subdit.

Μεταγειτνίων, et μεταγείτνιος Apollo, itidem cultus et nuncupatus ab Atheniensibus, cuius et celebritas μεταγείτνια uocitata celebrabatur, et secundus ab eis mensis dictus Metagetnion, qua de re Hyperides in oratione quae pro Xenippo dicta est. idem scripsit et Lysimachides, in libro de Atheniensium mensibus: item Plutarchus in libello de exilio. Sed et Valerius Arpocration, et Suidas, et nos ab eis de Annis et mensibus, etc.

Abaeus Apollo cognominatus ab urbe Phocidis Abae, ubi templum fuit Apollinis, in quo dabantur oracula, priusquam in Delphis darentur, ut Stephanus scribit. Huius templi meminit et Pausanias in Phocaicis: Abae, inquit, urbs dicta, ab Abante Lyncei et Hypermestrae filio nuncupata, quae Apollini dicata fuit. erat in ea uetustissimum Apollinis oraculum, quod ab exercitu Xersis conflagratum est.

Lithesius, λιθήσιος Apollo, in Litho Maleae constitutus, ut Rhianus in tertio Iliacon. meminere Suidas et Stephanus.

Geruntius Apollo apud Thracas, de quo T. Liuius libro octauo quartae Decadis. Eo die, inquit, ad Hebrum fluuium peruentum, inde Aeniorum fines, praeter Apollinis, Geruntium quem uocant incolae, templum superant.

Telchinius Apollo cognominatus, teste Diodoro, a Telchiniis, Rhodi habitatoribus, qui cum Calphurnia Oceani filia nutriuisse feruntur Neptunum, a Rhea illis alendum datum, clam Saturno. Fuerunt autem Telchines, licet de ipsis alibi copiosius, artium nonnullarum artifices, et inuentores peritissimi. nam et ipsi deorum statuas [p.334] excogitarunt, quae et ab eorum nomine Telchines uocabantur: uti fuit apud Lindios Apollo Telchinius, apud Ialysios Iuno et nymphae Telchiniae, item apud Camiraeos Iuno Telchinia. Pausanias in Boeoticis.

Καρυειὸς, Carneus Apollo, cuius crebra mentio apud auctores. Huic deo Carnea celebritas, non modo apud Lacedaemonios peragebatur, sed tota ferme Graecia, et alibi quoque gentium, ut Pindarus in Pythiis ostendit, et elegantissime in hymno ad Apollinem Callimachus. De Carniis sacris Athenaeus in quarto ex Demetrio Sceptio plura perscribit, moremque in eis seruatum. Ab hac celebritate, uel a deo potius, modos Carneos nuncupatos existimo: quibus delectatum Timotheum Milesium, in historia Lyricorum poetarum scripsimus: quod et in Laconicis Apophthegmatis Plutarchus. Pausanias etiam Terpandrum scribit, e Hellanici sententia, primum omnia Carnea uicisse. Sane Carneum Apollinem quidam a Carno genere ex Acarnania, uocatum existimant: alii a Carno Iouis et Europes filio, quod Praxilla poetria scripsit, et Hesychius recitat, qui ab Apolline et Latona fuerit educatus. quidam a Carno uate denominatum putant, qui unus e Heraclidis fuerit: ex cuius nece pestilentia concepta sedari non potuit, nisi Carnea Apollini instituerentur. Plura Pausanias. Sunt qui ideo Carneum Apollinem uocitatum autument, quod cum in Ida Graeci cornum arborem succidissent, quam κρανεῖαν illi uocant, ex luco Apollinis, ad equum fabricandum, deum ea re iratum, et nominatum Carneum, literae unius inuersione. lege Pausaniam in Laconicis, et quem dixi Callimachi hymnum, et in eum Scholia. Hinc etiam Carneatae deducti, qui tenera aetate per sortem eligebantur, ad haec ipsa sacra ministranda. auctor est Hesychius. Porro Carnia, seu Carnea, nouem diebus celebrabantur: et militaris cuiusdam conuictus speciem prae se ferebant. sub tentoriis enim, quae σκιάδια, id est umbracula dicebantur, nouem in singulo quoque umbraculo describebant a trinis delecti tribubus, ibique facilis ac sine lauticia militaris in modum conuictus fuit, atque omnia sub quodam modo imperio, ut in castris mos fieri, erat.

Mystes Apollo cognominatus a populis Lydiae, de quo haec ferme Artemidorus Ephesius, qui se Daldianum uocari maluit, in libri secundi calce Onirocriticon: Nequid ergo mirum sit, Apollinem in Daldia, quem ipsi

patria uoce Mysten nuncupamus. Sane hoc nomine Graeci sacerdotem uocant.

Genitoris, id est γενήτορος Apollinis ara Deli fuit, de qua Cloatius Verus Ordinatorum libro secundo, et Censorinus in libro de Die natali, scribunt, quod apud eam hostia nulla caederetur, sed tantum solenni die prece eum uenerabantur. idem tradit et Timaeus. Verba uero Cloatii haec sunt: Deli ara est Apollinis γενήτορος, in [p.335] qua nullum animal sacrificatur: quam Pythagorum uelut inuiolatam adorasse produnt. id pluribus Laertius attestatur. De hac ara Vergilium intellexisse eistimat Macrobius, cum cecinit, Da pater augurium. Meminit et huius arae M Cato de Liberis educandis, in haec uerba: Nutrix haec omnia faciebat in uerbenis ac tubis, sine hostiis, ut Deli ad Apollinis Genitiui aram. ubi Genitiui uocabulum notandum est.

Ακερσεκόμης, id est intonsus Apollo dictus fuit, ut Pollux in secundo de tonsoribus, et Philostratus in Heroicis. At Hesychius, ἀκερσεκόμης, inquit, ὁ ἄκαρτος (non ut passim in uulgatis exemplaribus legitur, ἄκαρπος) id est, intonsus comas. ex quo indicatur τὸ ἄπενθες, quod minime lugubris sit: et propterea Phoebus Apollo dicitur, quod ab omni πάθους et affectu purus sit. Haec Hesychius. hoc uero cognomine Homerus, et Orpheus, aliique poetae appellant Apollinem. Pindarus etiam ἀκειροκόμης, παρὰ τὸ α καὶ κείρω κόμης, quod non tondeat comas: nostri ideo Intonsum uocant. Propertius in tertio: Dum petit intonsi Pythia regna dei. ᾿Ακειροκόμαν etiam Phurnutus appellat. Latinorum quidam interpretum existimant, illud apud Iuuenalem in octauo, Si nemo tribunal Vendit Acersecomes: accipi pro puero intonso et comato, qui in deliciis haberetur.

Eutresites, εὐτρησίτης Apollo cognominatus fuit, cuius fanum et oraculum ualde illustre Stephanus commemorat: dictus uero a pago Eutresi, cuius et Homerus meminit. erat autem propter uiam quae ducebat ex Thespiis Plateas, quam construxerat Zethus et Amphion. uocata uero Eutresis, propterea quod multis ῥύμαις ante eam uterentur. meminit et Strabo in nono.

Acraephius Apollo nominatus, ut Stephanus testatur, ab Acraephia Boeotiae urbe, quae et Acraephion neutro genere a Strabone et Pausania effertur, quam Athamas condidit: uel ut alii tradunt, Acraepheus, filius Apollinis, et mons, uocatus a Ptoo, filio ipsius et Euxippes: uel dictus, quoniam Latona ibi dum uellet parere, ἐπτόησε, id est pertimuit, ut supra copiosius relatum est ex Isaacio, in Ptoo Apolline.

Halei Apollinis templum in Italia, iuxta Crotonam, construxit Philoctetes, erroribus suis finem statuens. in eo arcum et sagittas deposuit.

᾿Εμβάσιος, et ἐκβάσιος, Apollinis cognomina: hoc est, Inscendens et descendens nauim. Apollinem docuimus in nostro de Nauigiis, diuersis cognominibus ex re nautica a ueteribus nuncupatum fuisse. Nam ἐμβάσιος dictus est, ab ingressu nauis: cui Iason cum Argo nauem esset conscensurus, rem sacra fecit, ut pluribus in [p.336] primo docet Apollonius. Eidem quoque cum e naui exirent, sacrificabant: qua ex re ἐκβάσιος, hoc est egrediens est nuncupatus, ut idem docet Apollonius. Deilochus tamen non Ecbasium, sed Iasonium uocauit. Socrates uero his cognominibus Cyzicenum Apollinem uocatum scribit. De littorali quidem, id est Actio et Epactio, ante iam scripsimus. uocabatur et Epibaterius, ut ante docuimus.

Comaeus Apollo, uel ut alii scribunt, Cumaeus, colebatur in urbe Seleucia, de quo sic Ammianus Marcellinus libro III. historiae suae: Post hanc (inquit) Seleucia, ambitiosum opus Nicanoris Seleuci, quae per duces Veri Caesaris, ut ante retulimus, expulsa, auulsum sedibus simulachrum Comaei Apollinis, perlatumque Romam in aede Apollinis Palatini deorum antistites collocarunt. Fertur autem, quod post direptum hoc idem figmentum incensa ciuitate, milites fanum scrutantes, inuenere foramen angustum, quo reserato ut preciosum aliquid inuenirent, ex adyto quodam concluso a Chaldaeorum arcanis labes primordialis exiluit, quae insanabilium ui concepta morborum eiusdem Seueri Marci Antonii temporibus, ab ipsis Persarum finibus ad usque Rhenum, per Gallias, cuncta contagiis polluebat, et mortibus. haec ille: cuius uerba, ut res ipsa, monstrosa mihi uidetur. Comaei Apollinis meminit Athenaeus in libro Deipnosophiston. Sedenim quoque scribit Baptista Leo Albertus, ex Iulii Capitolini historici sententia, apud Babyloniam in Apollinis templo arculam inuentam auream peruetustam, ex qua aer corruptus inclusus, cum ea infringeretur, sese effudit: qui non solum praesentes interemit, sed etiam finitimas regiones contagio infecit. Porro et Cumaeus,

uel Cumanus Apollo commemoratur a D. Augustino, libro tertio de Ciuitate dei: Neque enim, inquit, Apollo ille Cumanus, cum aduersus Achaeos, regemque Aristonicum a Romanis bellaretur, quatriduo fleuisse nunciatus est. reliquum historiae ipse Augustinus prosequitur. Iulius Obsequens in libro de Prodigiis, huius Apollinis flentis meminit, sed non cognominis: Apollinis, inquit, simulachrum lachrymauit per quatriduum. de horum utro intellexerit T. Liuius libro octauo quartae Decadis non satis adhuc decreui. sic enim scribit: Transgressi Maeandrum, ad Hieran Comen peruenerunt. Fanum ibi augustum Apollinis, et oraculum, sortes autem uersibus haud inconditis dare uates dicuntur, etc.

Themenites Apollo etiam cognominatus. Suetonius Tranquillus de signis mortis Tiberii Caesaris. Supremo natali suo Apollinem Themeniten et amplitudinis et artis eximiae aduectum Syracusis, ut in bibliotheca noui templi poneretur, uiderat per quietem, affirmantem sibi, non posse se ab ipso dedicari. quo in loco interpretes, uiri doctissimi, alter Temenitem sine afflatu, a τέμενος, id est luco [p.337) ] deriuat, uel a loco: alter amplius, a fonte agri Syracusani Temenite, cuius meminit Plinius. Mox idem, quoniam M. Cicero in Verrem, in oratione pro signis, Apollinis Themitis meminit, sententiam mutare uidetur, et Temenitem in Themiten mutat, atque a Themi deflectit. Ego aliud nihil habeo. Illud tantum dixerim, Thucydidem libro septimo montis uerticem Temenitem uocare Syracusis, in quem Gylippus copias abduxit. Porro Ciceronis exemplaria VI. in Verrem actione uariant. quaedam Thesmoten habent, alia Tenniten Apollinem. ego in tanta uarietate, Temeniten potius lego. Sed enim Apollinem praeterea comperi cognominatum Teneaten, a uico Corinthio, ut est apud Strabonem. Sed et Themaniten dicimus, a loco Chaldaeae in sacra historia.

Gergithius Apollo appellatus est, teste Stephano, a Gergitho Troiae urbe, quae et Gergis Gergithos in genitiuo dicitur, et haec Gergithos, ti. Ex hac fuit Sibylla, quae oracula reddebat: quam et Gergithii in suis nomismatibus imprimebant una cum sphinge, ut Phlegon in primo Olympiadon. In templo uero Apollinis Gergithii, huius Sibyllae tradunt fuisse sepulchrum. huius etiam in Sibyllis memini.

Hyacinthides, Apollinis cognomentum, ab Hyacintho, cuius est fabula notissima: unde et Hyacinthia festa, cum apud alias gentes, tum praecipue apud Lacedaemonios: ut Ouidius, Hesychius, Phauorinus, alii sunt auctores.

Cous Apollo, cuius templum et lucum celebrat Dion libro historiarum LI. ait enim, Turulium, cum arbores Apollinis Coi incidere fecisset, ut naues fabricaret, ab Augusto iussum necari.

Thymbraeus Apollo, ut Strabo libro XIII. scribit, dictus est a Thymbra campo, qui Troiae proximus fuit: et Thymbraeus fluuius, qui per eum fluit, in Scamandrum immittens, prope Apollinis Thymbraei templum, L stadiis distabat. Vergilius: Da propriam Thymbraee domum. Statius ad Apollinem, Seu Troiam Thymbraeus habes. quibus in locis grammatici, Seruius et Lactantius, hic in primo Thebaidos, ille in tertio Aeneidos tradunt, Thymbraeus Apollo dicitur ab agro Troiae uicino, pleno thymbrae herbae, in quo eius est nemus et templum, ubi a Paride Achilles occisus est, unde fingitur manu Apollinis uulneratus. Ergo Thymbraeus, ut Delius, dicitur. Nam numina a locis frequenter nomina accipiunt. Sane quia graece θύμβρη facit, in deriuatione η in diphthongum saepius mutat: ut Aetne Aetnaeus, Dirce Dircaeus. haec Seruius. Sed et quidam Thymbraeum dictum arbitrantur, quasi θείς τὰ ὄμβρα, hoc est ponens pluuias. Sedenim Hesychius etiam Thymbracum [p.338] appellare uidetur. ait enim: Thymbra locus est Ilii, propter Thymbram fluuium, sic nuncupatum, ab antiqua urbe distantem stadiis, ubi et Apollinis Thymbraci templum: nisi mendose potius, ut sexcenta in ea auctore, legatur Thymbraci pro Thymbraei. Apud Festum etiam male montem Thymbraeum pro campo legitur. Sane et in eadem Troiae regione, hoc est in Pergamo, Apollo colebatur: ubi et templum ipsius, quod uel celebre fuisse innuit poeta Homerus libro Iliados quinto, in quod (inquit) uulneratus a Diomede Aeneas ab Apolline delatus, sanitati restitutus a Latona et Diana.

Τυρβηνὸς etiam Apollinis cognomen apud Hesychium. putauerim ego, quod Elei τύρβησιν aera uocant: utcunque, certi nihil praeterea habeo.

Aphetor, hoc est ἀφήτωρ Apollo nuncupatus, quasi emissor, ut Hesychius testatur: ab emittendis et edendis oraculis, uel sagittis et radiis. utrique enim conuenit. Strabo

quoque in nono meminit, etiam Homeri uersus afferens. Porro etiam ἀφετοὶ dicuntur deo dicati, ut γυναῖκες ἀφετοὶ: et ἀφετοὶ κόραι, quae sacratae deis, ut nostrae moniales. sic et Athenaeus uocare uidetur animalia sacra, quae passim uagantur, ut hodie Antonianae sues.

Enholmos Apollo cum ab aliis, tum ab Sophocle appellatus est: unde et uates Enholmides uocantur. Holmos inter multa quae significat apud Graecos, tripus est, et locus ubi Pythia uaticinabatur. plura in prouerbiis ἐν ὅλμῳ.

Grynaeus Apollo celebratissimus, de quo sic Strabo libro tertio decimo: Grynaeum, inquit, Myrineorum oppidum, et Apollinis fanum, et peruetustum oraculum et templum, candido lapide sumptuosum. Hinc uidetur Myrinus, uel Murinus appellari Apollo a Martiale, qui est Grynaeus:

Campis diues Apollo sit Murinis.

Etsi alii de Smintheo intelligunt. nam y uerti in u apud antiquos, notissimum est. Plinius libro trigesimo secundo: Nam in Lyciae Myris fonte Apollinis, quem Dium appellant, ter fistula euocati ueniunt ad augurium. quin Ethicus noster Murinos populos in sexto ultra Taurum montem commemorat. de Gryneo uero Vergilius:

His tibi Grynaeo nemorum dicatur origo.

item in Aeneidos quarto:

Sed nunc Italiam magnam Grynaeus Apollo.

ubi Seruius, non oppidum, sed nemus Grynaeum uocat. ait enim: Iuxta Clazomenas nemus est Grynaeum, ubi Apollo colebatur. Stephanus uero: γρύνοι, ait, oppidum Myrenaeorum, ubi et fanum Apollinis, et uetustum oraculum, sumptuosum albo lapide, in quo colitur. Hecataeus [p.339] uero urbem Grynaeam uocat, unde gentile Grynaeus. Dicitur et γρύνειος, et γρύνειος ἀπόλλων, ut Parthenius ait in Delo. Dicimus etiam Ionice γρυνήιος, etc. Orpheus in hymno, quem illi cum suffimento mannae thuris concinuit, Grynium ait:

Grynie te Smintheu, Pythoctone, Delphice uates.

Pausanias etiam in Attica, ubi de thoracibus linteis, quibus in uenationibus leonum et pardorum dentes franguntur, multa diceret: Huius generis, inquit, cum alibi θωράκων τῶν λινῶν multos uideas, tum in Gryneo, ubi Apollinis nemus pulcherrimum arboribus syluestribus et satiuis, et earum omnium, cum fructiferae non sint, aut odore delectant, aut aspectu. Grynaei meminit et Athenaeus.

Παρνόπιος, id est culiciarius Apollo, ut Domitius exponit, colebatur: cuius simulachrum ad Phidiae opera refertur. Ideo uero appellatus, quoniam infestos olim agro πάρνοπες, id est culices propulsauerit. quo autem pacto abegerit, non est quod sciam literis proditum. auctor in Attica Pausanias. Sunt qui πάρνοπες locustas interpretentur.

Philalexander Apollo, ab Alexandro cognominatus. Nam ut Diodorus Siculus scribit, cum Apollini catenas aureas et compedes a Tyriis iniectas Alexander detraxisset, Philalexandrum uocari uoluit, post Tyri direptionem. Pluribus idem Diodorus historiam explicat.

Argyrotoxus Apollo uocatus ab argenteo et splendido arcu, quo Pythonem serpentem confecit. uel a sagittis, quippe τόξος utrunque significat, ut alibi docui. uel sic dictus, quod Sol cum sit, per summum orbis ambitum discurrens, uelut arcus quidam, qui graece τόξος dicitur, figuratur alba et argenti specie. Sed et ἄργυρον aliquando pro pulchro Graeci capiunt, ut alibi notauimus. Quin et Pindarus ἀργυρόπεζαν ἀφροδίτην ideo in Pythiis uocauit, et Pollux Thetin, ut suo loco est ostensum. Argyrotoxi Apollinis et Macrobius meminit. Hesychius etiam ait, τὸ μὲν ἄκουρον ἐόντα ἔτ΄ ἀργυρότοξος ἀπόλλων. Dicitur idem et χρυσότοξος, hoc est aureum ferens arcum: et κλυτότοξος, hoc est inclitus arcu, quo crebro usus est Homerus, et alii.

Arcitenens a latinis aliquando dictus. Ouidius,

Hunc deus Arcitenens, et nunquam talibus armis, etc.

in primo Metamorphoseon de Pythone. hunc Graeci dicunt τοξοφόρον.

Auricomum Apollinem latini uocant, χρυσοκόμην graeci, propter solis radios, ut ait Phurnutus: utque legimus apud Orpheum et Homerum, et alios. Vocatur et eadem ratione χρυσοχαίτης. Dicitur et a nostris crinitus, ut cicero in Academicis. Intendit crinitus Apollo arcum. Pindarus in Pythiis χαίτηος, quasi iubatus et comosus. [p.340] Repete ea quae dicta sunt in Acersecome.

Χρυσάωρ Apollo dictus, quod ensem ferat aureum, ut ego interpretor, propter radios aureos Solis. Orpheus in Argonauticis de Bute, ἴκελος χρυσάορι φοίβῳ, id est, similis

Chrysaori Phoebo. Hesiodus, φοῖβον ἀπόλλωνα χρυσάορον, ὅν τέκε λητὼ. hoc est,

Latona hunc Phoebum Chrysaoron edidit alma.

Vtitur et Homerus.

Leschecorius, λεσχηκόροις Apollo. Λέσχη, nugae et sermones dicuntur: hinc Apollo cognominatus, cum in coronas uiri ad fabulas eunt. Vide Suidam.

Λεσχηνάριον ἀπόλλωνα etiam uocatum ait Phurnutus, propterea quod interdum nugae fiant, et inuicem homines sermocinentur, noctu uero quiescant. Λέσχη enim nugas significant.

Orchestes Apollo a saltatione nuncupatus, a Pindaro. Idem etiam innuitur in hymnis Homeri. Quin etiam eadem ratione ab Orpheo in hymno χοροποιὸς uocatur.

Phyxius Apollo cognominatus, de quo Philostratus in Palamedis imagine: quem fugae praesidem existimabant ueteres, eique rem sacram faciebant. Commentatores tamen Theocriti in Edyllio VII., super ea uerba, τὰν ἐπὶ πύξας, πύξα aiunt populum esse Coi, uel locum sic nominatum, ab Herculis fuga de Cois, in quo tradunt Apollinis templum fuisse, qui a re Phyxius. Paulo post iidem subinferunt, a πύξα etiam πύξιον Apollinem appellari, et Pana. de Phyxio uero Ioue plura diximus suo loco.

Napaeus Apollo dictus, ut Stephanus scribit, cuius haec sunt uerba: νάπη, inquit, urbs Lesbi. Hellanicus in secundo Lesbicon. ciuis Napaeus, et Apollo Napaeus. Sunt et Napaei continentis. est et pars montis νάπη. et Napaeus, qui ex eo est. Napaei porro Apollinis, grammatici latini quidam meminere, ut Macrobius.

Telmissius Apollo, ut idem scribit Stephanus, appellatus fuit a Telmisso, qui e Hyperboreis uenit, et in Caria constitit, ubi Telmissii fanum Apollinis construxit. Telmissum aliqui Apollinis filium scribunt, ex Themisto Zabii Hyperboreorum regis filia: et fratrem Galeotae, qui in Sicilia oracula obtinuit: unde Galeotae dicti in Sicilia, eius successores.

Ἔνθρυπτος Apollo, id est Intritus, uel deliciose paratus, ab Atheniensibus nuncupatus, ut ait Hesychius, et Arpocration. Ἔνθρυπτα enim bellaria dicuntur, deliciose parata, quae in sacris inferebantur: unde forte Apollini nomen inditum. Vtrunque lege, qui plura docent.

Thornax Apollo dictus, et eodem nomine ipsius dei templum, [p.341] ut Hesychius scribit. est autem θόρναξ mons Latoniae, ut in quarto Nicolaus prodidit, et Stephanus. eadem uox, teste Hesychio, scabellum, seu suppedaneum denotat.

Προόψιος Apollo, id est praeuidens, uel praesagus, ut in Attica Pausaniae interpretatur Domitius.

Δεκατηφόρος Apollo, ut idem interpretatur Domitius, Decumanus Apollo, qui cognominatur, Aegyptiorum simulachris persimilis fuit: ut is quem Archogeneten uocitabant, et in Aegineticis operibus uidetur, ex ebeno confectis. lege Pausaniam in Attica.

Λαρισσηνὸς ἀπόλλων, Larissenus Apollo denominatus fuit a uico Ephesi, ubi colebatur, non procul a Tmolo, in campis Caystri: sicut Strabo et Stephanus tradunt. dicitur et Larissaeus.

Polio Apollini nuncupato priscis temporibus, ait Pausanias in Boeoticis, tauros Thebani immolabant. Πολιὸς uero dictus est canus, non quod imberbis hoc loco fingeretur, sed canus et capillatus.

Amazonius Apollo, sic dictus apud Lacedaemonios, quoniam in agro Pyrrhichio Amazones contra Graecos pugnare desierant. unde ibi Astrateae Dianae sacellum constructum fuit. Amazonii Apollinis et Pausanias in Laconicis meminit.

Stobaeus Apollo, cuius oraculum fuit apud Abas, locum Phocidis: Hesychius.

Tilphossius Apollo, sic appellatus a monte et fonte, ut Strabo docet in nono. Pausanias tamen Tilphusam uocat, cuius aqua epota Tiresias expirasse proditur. Sunt et qui Telphusium uocant. meminit et Homerus in hymnis.

Phylleus Apollo, nuncupatus a Phyllo, in terra Phthiotica: cuius fanum celebrat Strabo eodem libro nono. Stephanus legit Phyllus Phylluntis, eam urbem in Thessalia reponens: et locum hunc ex hoc Strabonis libro aduocat, sed dei non meminit. Citat Rhianum, qui Phyllum foeminino genere dixerit, libro nono Thessalicorum, οἱ δ΄ ἄφαρ ὁπλισθέντες ἴσαν κραναὴν ποτὶ φύλλον.

Tarrhaeus Apollo cognominatus est, teste Stephano, ab urbe Tarrha in Creta. nam et aliae fuerunt hoc nomine: altera in Lydia, et alia colonia Cretensium apud Caucasum montem. a Cretensi ergo urbe et Apollo Tarrhaeus dictus, et Lucius (quem et Lucillum

legimus) Tarrhaeus grammaticus, qui libros tres de prouerbiis optimos reliquit, et de literis, et quae ad artem pertinent, λαφυρώτατα. Leguntur et eius quaedam in Apollonium Rhodium scholia erudita, et ualde utilia.

Selinuntius Apollo celebratur a Strabone libro X., illiusque oraculum.

Salganeus Apollo, teste Stephano, nuncupatus a ciuitate Boeotica, quae post Chalcidem est, attingens Euripum, quae Salganeus [p.342] uocata fuit: cuius habitator Salganius, et Salganites, unde Salganeus Apollo.

Musagetes Apollo, cognominatus (ait Phurnutus) quod Musarum ductor coleretur, ut in Musis diximus, et in Hercule. Orpheus in hymnis. Sed et Proclus in Platonem, Musagetes, inquit, Apollo colitur, et est unitas ad harmoniam in uniuerso. Hic autem est chorus Musarum totius numeri nouenarii, ex quibus duobus mundus totus indissolubilibus uinculis colligatur: et reliqua, quae ibi multa scribuntur, et in Musis retulimus.

Marmarinus Apollo, denominatus a Marmario, quod uicinum Carysto fuisse, ostendit Strabo libro decimo. Insigne uero ibi templum habuit Apollo.

Ἀλευρομάντις Apollo etiam dicitus, teste Hesychio, propterea quod et farinis, id est ἀλεύροις fiebant uaticinia. nam ἄλευρα frumentacea et triticea, ἄλφιτα uero hordeacea dicitur, ut est apud eundem. tametsi apud Galenum et Paulum confundantur.

Tragius Apollo nuncupatus, ut ait Stephanus, a Tragaea urbe in insula Naxo. Eupolis scribebat per epsilon, sine diphthongo, Tragea. Fuit et alia Tragea prope Cycladas, ex qua fuit Theogeton Peripateticus philosophus, Aristotelis familiaris.

Ixius Apollo Rhodi cultus fuit: appellatus uero, ut ex Artemidoro scribit Stephanus, ab Ixis Rhodi regiuncula, quae ab Ixo portu denominata fuit.

Lathraeus Apollo cognominatus, ut in decimo Strabo testis est, qui eius prope Calydonem templum celebrat.

Styracites Apollo cultus et nominatus: Styracion enim mons Cretae fuit. inde qui eum incolunt, Styracitae appellati sunt: Stephanus.

Illeus Apollo in Troia dicitur, ab eodem Stephano.

Aegletus Apollo cultus ab Anaphe, quae non multum a Creta distat, ut Strabo auctor est. In ea fuit Aegleti Apollinis templum. meminit Callimachus hoc carmine,

Αἰγλήτην Ἀνάφην τε λακωνίδι γείτονα Θήρᾳ.

Inuenio et Egretum alicubi nuncupatum. Phurnutus quidem Anaphaeum Apollinem nominat, sed nescio an Aegletum intelligat, qua de re supra in Delio et Phanaeo disserui.

Mantous etiam a uaticiniis Apollo nominari uidetur, si recte Plutarchi uerba de animi tranquillitate, id est εὐθυμία consideremus.

Δυνάσταν, Apollinem Theopompus et Hesychius uocarunt: qua uoce et Latini usi sunt, pro praefecto regionis alicuius. hinc et Dynastia, ipsa praefectura.

Cataonis Apollinis Strabo meminit, de Melitena et Cataonum [p.343] campis. Habet, ait, etiam Apollinis Cataonis delubrum, quod in tota colitur Cappadocia. Porro Cataoniam ad extremam Tauri montis partem constituit Stephanus.

Ἔνθρυπτος ab Atheniensibus Apollo dictus, teste Suida. est uero ἔνθρυπτον cibi genus, aut placentae, aut intriti.

Cillaeus Apollo, cuius Strabo nec semel meminit in XIII. In agro, inquit, Adramitteno est Chrysa et Cilla: nunc quoque prope Thebam est locus quidam Cilla appellatus, in quo Cillaei Apollinis templum est. Hunc locum Cillaeus amnis praeterlabitur, ex Ida monte delatus. Idem non multo post: Est etiam Cillaeus mons inter Gargara et Antandrum. testis est Daes Colonaeus, apud Colonas Cillaei Apollinis templum ab Aeolibus e Graecia nauigantibus aedificatum esse. dicunt etiam Chrysaeum Apollinem Cillaeum esse. Non longe porro a Cillaei Apollinis templo Cilli monumentum fuit, ingens quidam tumulus: Cillum uero Pelopis aurigam, et ducem Locrorum dicunt. Cirrhaeus etiam nuncupatus Apollo ab urbe Cirrha, ut Strabo ait, sub Cyrphi rupe Delphica. Non ignoro secus a grammaticis tradi. Statius in octauo Thebaidos de Amphiarao rapto,

Haec Tenedon Cirrhamque dies, partuque ligatam

Delon, et intonsi claudet penetralia Branchi.

Ἥλιος, Helius, ut notissimum est, graecis Sol uocatur, ab ἵημι, quod eat. unde Heliades dictae, quae et Phaetontiades, Apollinis sorores nymphae. Vocatur et interdum Ἡέλιος, sed et dorice Ἀέλιος. quin et Cretenses, ut scribit Hesychius, Ἀβέλιον nuncupabant: unde quidam Cyrum, qui a cane

nutritus est, dictum putauere, eodem Hesychio auctore. Τάλος item Sol dictus, et Samasa ab Arabibus. Stephanus. Σαῶς uero Sol a Babyloniis: Hesychius. Scythae autem Oetosyron uocant: Herodotus et Hesychius.

Erisatheus Apollo dictus: idem Hesychius, in Attica.

Ἔναυρος Apollo, ab aura (ut uidetur) deductus: Hesychius.

Cassius Apollo a Menandro uocatus, cuius ara in comoediae scena statuta fuit. Coelius Rhodiginus.

Astypalaeus Apollo ab insula, et Odrysseus a fluuio. Strabo libro XI. et XII.

Σείριος, Sol ab Archilocho, alii caniculam. Ibycus uero eo nomine astra omnia appellauit, ut Hesychius notat.

Ἐυρύαλος, Apollo etiam dictus, quod late et ubique luceat, emicetque: idem auctor Hesychius.

Ζωτεάτας Apollo in Argo, a loco dictus, idem qui supra: in Corintho [p.344] uero nuncupatus fuit Apollo Ζωτεληστὴς. Legimus insuper Θερελίμιον cognomentum fuisse Apollinis, sed et Iouis apud Hesychium, et Ἐρέσειος Ἀπόλλων. Item in Mileto, Θύιος Ἀπόλλων. item Θόαξος. Appellatus est etiam interdum ab artificibus, ut apud Pausaniam in Attica, Dionysiodoti. unde mirum est Domitium, alioqui uirum doctum, ita uertisse: Phlyenses autem Myrinusii habent aras Apollinis ductoris, Bacchi et Dianae luciferae. Cum Apollinis Dionysiodoti legendum sit, et Dianae Selaphorae.

Thecmius etiam Apollo cognominatus, et in Olympia cultus, ut in Eliacis idem Pausanias est auctor.

Oetosyrus Apollo uocatus a Scythis, ut Herodotus et Hesychius consentiunt. quo magis mirum mihi uisum, Parrhasium in poetica Horatii scripsisse, Scythas Gongosiron Apollinem uocasse.

Sciallius Apollo: uide Macrobium. Sosianus, uel Susianus, Romam aduectus: Plinius.

Aperca Apollo, quod patente cortina responsa praeberet: Festus.

Sed age, Heliopolitani Apollinis simulachrum nostris his nugis ex Macrobio ascribamus: Aureum simulachrum, inquit, specie imberbi, instat dextra eleuata cum flagro in aurigae modum, laeua tenet fulmen et spicas. Vehebatur simulachrum hoc ferculo, ueluti deuehebantur in pompa ludorum Circensium, deorum imagines, et subibant plerique prouinciae proceres raso capite, longi temporis castimonia puri: ferebantque diuino spiritu, non suo arbitrio, sed quo deus propellebat. consulebant autem hunc non solum praesentes, sed et absentes, missis diplomatibus consignatis: qua de re historiam de Traiano consulente, idem affert Macrobius. Sed nos ad alios recensendos deos properamus.

Duo tamen, antequam finiam, prius exponam: et solis equos uidelicet, et Apollinis cognomina miro artificio per capita literarum et Acrostichida graeci alphabeti carmine, ut Bacchi etiam, consignata.

Nunc igitur equos Solis, quos illi poetae caeterique scriptores ascribunt, tibi affero, ut pictoribus et statuariis nonnullam opem, his nostris Syntagmatibus afferamus. Ouidius in primis, ut ab hoc exordiar, hos nominat in secundo Metamorphoseon,

Interea uolucres, Pyrois, Eous, et Aethon,

Solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras

Flammiferis implent.

Eosdem et commemorat Lactantius in III. commentario Thebaidos. Dicti illi quidem, Pyrois, (qui inflectitur, ut Simois. Hinc Valerius Flaccus,

Et formidantem patrios Pyroenta dolores) ἀπὸ τοῦ πυρὸς, ab igne scilicet: Eous, ab Ἠωὸς, id est ab aurora: Aethon, ab αἴθω, ardeo, [p.345] uel curro: ab utroque enim declinari potest. Phlegon uero, a φλογὸς, id est flamma, quod naribus flammas efflare fingatur. Martialis tamen duos solum commmemorat, his uersibus:

Quid cupidum Titana tenes? iam Xanthus et Aethon Frena uolunt.

Et Xanthus dicitur quasi flauus, a flammae uidelicet colore. Fulgentius et ipse Solis equos his uerbis conscribit in primo Mythologicon: Vnde, inquit, et ipsius Solis equis condigna sic nomina posuerunt, id est, Erythraeus, Actaeon, Lampos, Philogeus. Erythraeus graece rubens dicitur, quod a matutino Sol lumine rubicundus exurgat. Actaeon, splendidus dicitur, quod tertiae horae momentis uehemens insistat, et lucidior fulgeat. Lampos uero, dum ad umbilicum diei et contra arcticum conscenderit circulum. Philogeus graece terram amans dicitur, quod hora nona procliuior uergens, occasibus pronus incumbat. Porro et commentator Arati latinus, quisquis is fuit, eosdem cum Fulgentio

commemorat, et simul etiam nominum causas afferre nisus est, quas ideo apud ipsum leges: conueniunt enim, adeo, ut unus ab altero manifeste accepisse uideatur.

Acrostichis icosipentasticha, ut graeci dicunt, ingeniosissima, quae latine uerti non potest, cuius hoc primum carmen est,

Ingentem Paeana cano, tua nomina Apollo:

Ὑμνείω Παιᾶνα μέγαν θεὸν Ἀπόλλωνα,

Ἄβροτον, Ἀγλαόμορφον, Ἀκερσεκόμην, Ἁβροχαίτην,

Βριτύνοον, Βασιλῆα, Βελεσιχαρῆ, Βιοδώτην,

Γηθόσηνον, Γελόοντα, Γιγαντολέτην, Γλυκύθυμον,

Διογενῆ, Διόπαιδα, Δρακοντολέτην, Δαφνογηθῆ,

Ἐύλαλον, Εὐρυβίην, Ἑκατηβόλον, Ἐλπιδοδώτην,

Ζωογόνον, Ζάθεον, Ζηνόφρονα, Ζηνοδοτῆρα,

Ἤπιον, Ἡδυεπῆ, Ἡδύθροον, Ἡπιόχειρα,

Θηροφόνον, Θαλερὸν, Θελξίφρονα, Θελγεσίμυθον,

Ιαφέτην, Ἱμερτὸν, Ἰήιον, Ἱπποκορυστὴν,

Κοσμοπλόκον, Κλάριον, Κρατερόφρονα, Καρπογένεθλον,

Λητογενῆ, Λάρον, Λυρογηθέα, Λαμπετόωντα,

Μυστοπόλον, Μάντην, Μεγαλήτορα, Μυριόμορφον,

Νεβροχαρῆ, Νοερὸν, Νηπενθέα, Νηφαλέοντα,

Ξυνοχαρῆ, Ξυνὸν, Ξυνόφρονα, Ξυνοδοτῆρα,

Ὄλβιον, Ὀλβιόεργον, Ὀλύμπιον, Οὐρεσιφοίτην,

Πρηὺν, Πανδερκῆ, Παναπήμονα, Πλουτοδοτῆρα,

Ῥυσίπορον, Ῥοδόχρουν, Ῥηξήνορα, Ῥηξικέλευθον,

Σιγαλόεντα, Σοφὸν, Σελαηγενέτην, Σωτῆρα,

Τερψίχορον, Τιτᾶνα, Τελέστορα, Τιμήεντα,

Ὑμναγόρην, Ὕπατον, Ὑψαύχενα, Ὑετόεντα, [p.346]

Φοῖβον, Φοιβάζοντα, Φιλοστέφανον, Φρενογηθῆ,

Χρησμαγόρην, Χρύσεον, Χρυσόχροα, Χρυσοβέλεμνον,

Ψαλμοχαρῆ, Ψαλτὴν, Ψευσίστυγα, Ψυχοδοτῆρα,

Ὤνυπον, Ὠκυεπῆ, Ὠκύσκοτον, Ὠρεσιδοώτην.

AESCVLAPIVS

Aesculapius medicinam primus, ab Apolline patre institutus, mortalibus inuexisse, seu inuenisse dicitur. ipse siquidem perfectam, et numeris suis omnibus absolutam adinuenit: mox illius successores ab eo Asclepiadae nuncupatae, uelut haereditariam acceptam, per manus traditam excoluere, posterisque subinde inuulgarunt, usque ad Hippocratem, qui eam consummauit. Sed ista Medicis mittamus: nos nostrum institutum prosequamur.

Aeculapius a graecis Ἀσκλήπιος dictus est, Apollinis et Coronidos, ut Diodorus scribit, filius, medicinae praeses, plurima ualetudini mortalium utilia adinuenit. adeo autem excelluisse in aegrotorum curatione dictus, ut mortuos ab inferis excitare crederetur: quare apud Iouem accusatus, fulmine ictus est. quamobrem iratus Apollo, Cyclopas fulminis fabricatores interemisse dicitur. Ideoque Iupiter Apollinem homini seruire iussit. haec Diodorus. Cicero uero Aesculapii nomine tres fuisse commemorat. primum Apollinis filium, quem Arcades colebant: qui speculum inuenisse, primusque uulnus dicitur alligauisse. secundum, secundi Mercurii, Valentis et Pheronidis filii fratrem: is fulmine percussus dicitur, humatusque esse Cynosuris. tertium, Arsippi et Arsinoae, qui primus purgationem alui, dentisque euulsionem, ut ferunt, inuenisse dictus est: cuius in Arcadia non longe a Lusio flumine sepulchrum et lucus ostendebatur. haec ferme Cicero. Dictus uero Aesculapius, teste Phornuto, ἀπὸ τοῦ ἐσκλῆσθαι καὶ ἀναβάλλεσθαι τὴν κατὰ τὸν θάνατον γινομένην ἀπόκλησιν, hoc est, ab excludendo et reiiciendo factum per mortem interitum. Codices Phurnuti impressi non ἐσκλῆσθαι, sed ἐτώσθαι habent, quasi quod casset mortis accessum. Sed parum consona uidetur deriuatio. quare alii dictum putant παρὰ τὸ τὰ ἀσκελῆ τῶν νοσημάτων ἤπια ποιεῖν, hoc est, ab eo quod quae morborum aspera sunt, mitia faciat. quidam etiam ab ἄσκλην καὶ ἤπιος deducunt. Phurnutus et alii scribunt, Aesculapium nutritum a Chirone centauro, medicinam uero edoctum ab Hepio: quod nomen non ociose positum esse uidetur, siquidem sedet turbationes, διὰ τὸ τοῦ ἠπίου φαρμακείας, id est propter medicamenti mitigationem. Sed uide quaeso ne decipiare mendoso Phurnuti codice. Quippe Naso poeta noster libro secundo Metamorphoseon non

Hepion, sed Ocyroen [p.347] uocat Chironis filiam, quae in ἵππον, id est in equam conuersa sit. Xenophon in libro de Venatione, de Chirone et Aesculapio multa eleganter prodidit, sed nos caetera sequamur. Tarquitius de uiris illustribus, ut Lactantius Firmianus refert, Aesculapium incertis parentibus natum ait, et expositum, a uenatoribus inuentum, canino lacte nutritum, Chironi traditum didicisse medicinam: fuisse autem Messenium, sed Epidauri habitasse. Pausanias uero Phlegiam ait, cum Peloponnesum peragraret, Coronide filia grauida ex Apolline comitatus, peruenisse in Epidauri montem, cui a re nomen mox inditum Titheum, a papilla scilicet. ibi enim expositus infans, caprae papillis est nutritus, cuius custos gregis canis comes erat. Aresthanes autem pastor, dum capram canemque perquireret, cum eis infantem reperit, e cuius facie fulgor resplenduit. hic uelut numen eum adorauit: atque ex eo Epidaurus tota Aesculapio est consecrata, quo loco Pausanias et templum eius et simulachrum describit. Iulianus Caesar Παραστάτης cognominatus, Aesculapium ait ex Ioue natum ex νοητοῖς, id est, si recte interpretamur, mentalibus: quia ex diuina mente super terram apparuisset, per foecundi solis uitam: et Epidauri, Pergami, Tarenti, et Romae uersatus. Contra Iulianum disputat in primis Cyrillus Alexandreus, et eius fabulas confutat. Hermes Trismegistus in Asclepii dialogo, Aesculapium ostendit Aegyptium fuisse, quod etiam scribunt Diodorus et Eusebius. Trismegisti uerba in Asclepio haec sunt: Auus, inquit, tuus o Asclepi, medicinae primus inuentor, cui templum consecratum est in monte Libyae, circa Crocodilorum littus, in quo eius iacet mundanus homo: et quae alia subiungit. Theodoretus Cyri urbis episcopus scribit, quod Homeri tempore nondum esset Aesculapius in deorum numero habitus. Nam ipse Homerus uulnerum Martis curatorem non Aesculapium facit, sed Paeona. cumque de Machaone Aesculapii filio loquitur, hominem eum uocat, Aesculapii absoluti medici filium. Apollodorus in libris quos de Deis scripsit, Aesculapium prodit diuinationibus et auguriis praefuisse: nec mirum, cum et medicum oporteat de aegroto ea dicere quae sunt, quae fuerint, quae mox uentura sequantur, ut ait Hippocrates. Sed Aesculapii quoque mortis causa uarie traditur. Pindarus in Pythiis, quopiam hymno ad Hieronem, quem et Tertullianus et Cyrillus, aliique sequuntur, ab Ioue fulminatum cecinit: quod auro uictus, Hippolytum in uitam reuocauerit. Alii non Hippolytum, sed Tyndareum: alii Capanea, alii Glaucum, Minois filium. qua de re in Ophiucho plura Hyginus in Astronomico poetico, et his uersibus poeta Claudianus in uictoria Stiliconis contra Alaricum. ita enim canit: [p.348]

Cretaque, si uera narratur fabula, uidit,
Minoum rupto puerum prodire sepulchro,
Quem senior uates auium clangore repertum,
Gramine restituit. mirae nam munere sortis,
Dulcia mella necem, uitam dedit horridus anguis.

Qui uero Orpheum secuti sunt, Hymenaeum dixerunt: alii Androgeum. Stesichorus, propter Capaneum et Lycurgum dixit. Alii, inter quos Polyanthus, quod Proeti filias sanitati restituerit, quas Phylarchus Phinidas, id est Phinei filias dixit. Telesarchus quidem Fulminatum Aesculapium ait, quod Oriona uoluerit in uitam reuocare. Pherecydes porro id tradit, quod qui Delphis interirent, uitae redderet. D. Epiphanius in Ancorato: Euclees, inquit, ab Aesculapio resuscitatus. Quidam legunt, Euricleas. nam sic Pythia prius dicebatur, ut in Pythio Apolline dictum. Staphylus tamen nullum ab inferis ab Aesculapio excitatum scripsit, sed tantum sanatum Hippolytum, ex Troezene fugientem. Adeo Graecis fabulari placuit. Varie quoque eius simulachra effinxit antiquitas. Pausanias, Aesculapii simulachrum ex auro et ebore a Thrasymede Pario elaboratum describit. Is in throno sedebat, uirgam tenens in manu: supra uero draconis caput manum alteram habebat, cui etiam canis assistere uidebatur. Haec Pausanias: qui et alibi, hoc est apud Sicyonios, Asclepieum fuisse ait, hoc est, Aesculapii templum, in cuius uestibulo imberbis erat Aesculapius, ex auro atque ebore confectus, Calamidis opus, sceptrum una, altera uera manu domesticae pinus pomum tenebat. Dicebant ipsum in draconis speciem ad se ex Epidauro mulorum bigis uectum, idque factum fuisse a Nicanora, foemina Sicyonia, matre Agasiclei, Echetimi uxore. Adeo non Romanis tantum serpens Epidaurius est impertitus. Eusebius etiam simulachris Aesculapii in manu baculum attribuit, quasi (ut ait) aegrotantium sustentaculum. Serpentem uero inuolutum, animae et corporis salutare signum: quo loco

multa Eusebius de serpentibus tradit, ut spiritualibus, ex recondita disciplina. Hinc et Macrobius, Aesculapii simulachrum ait draconis salutis symbolum subiungi. idem et Phurnutus, qui et cur baculum gerat, exponit. Sed et Hyginus in Astronomico, de baculo et angue, seu dracone, ita in Ophiucho scribit: Cum Aesculapius Glaucum cogeretur sanare, inclusus quodam loco secreto, bacillum tenens manu, cum quod ageret, cogitaret, dicitur anguis ad bacillum eius arrepsisse: quem Aesculapius mente commotus interfecit, bacillo fugientem feriens saepius. Postea fertur alter anguis eodem uenisse, ore ferens herbam, et in caput [p.349] eius imposuisse: quo facto, loco fugisse. quare Aesculapium usum esse herba eadem, Glaucum reuixisse: itaque anguis in tutela Aesculapii esse dicitur. Apud Aelianum hoc etiam notaui, Parian serpentem, quam Apollodorus paruan uocabat, igneo esse colore, et acerrimo oculorum uisu, ore largo: ex quo fit, ut nihil mordendo noceat. Quin etiam mitis esse dicitur, et propterea (inquit) deorum humanissimo Aesculapio ipsum consecrarunt, eiusque ministerio dedicarunt. haec ferme ille. Sed de draconum natura cum alii multa, tum Philostratus in Imaginibus. Vnde etiam thesauros custodire poetae dixere, ut Hesperidum hortos, et uellus aureum apud Colchos. Plinius, aliique, dracones ad salubritatem referunt. Macrobius, eos etiam annuas exuuias ponere ac renouare ait. Quod uero acutissime cernant ac intueantur, et ad medicum pertinet, et ad custodiam. Nam et eius nominis etymologia argumentum esse potest. Dracones enim dicuntur ἀπὸ τοῦ δέρκειν, hoc est, ab acute uidendo. At cum dracone etiam gallum Aesculapio attributum legimus, propter uigilantiam: de quo ipsi res sacra fiebat. Quin et Socrates apud Platonem moriturus, suo testamento ei deo gallum reliquit. Plinius in Naturalis historiae libro trigesimoquinto, Aesculapio quatuor filias assignat: Cum Aesculapio (inquit) filiae, Hygeia, Aegle, Panacea, Iaso: de Socratis picturis agens. Aristophanes etiam has quatuor Aesculapii filias nominat, ut Hermolaus notat. Hippocrates in Iuramento duas tantum commemorat. Hermippus in Trimetris senariis, hoc Aesculapii filios ex Lampetia Solis filia tradit, Machaonem, Podalirium: et quas modo nominaui, Hygeiam, Panaceam, Aeglen, Iaso. His ab aliquibus adduntur, Ianiscus et Alexenor. Particulam hoc loco tibi libet ascribere, qua Cyrillus Iulianum Apostatam redarguit, antequam huius cognomina interpreter. Arroganter (inquit) dixit Iulianus, ex Ioue in mentalibus natum esse Aesculapium, apparuisse autem in hominis forma. Omnium siquidem sermone dicitur ex Coronide et Apolline natus, quae a sacerdotibus (ut uerisimile) in Apollinis templo uitiata fuit. Sed Iulianus de illo honestum et sublime quiddam et sentit et loquitur, semper nimium mendax: quamuis apud Graecorum sapientes plurima et absurda de illo scripta sint. Etenim cum Apis Aegyptius, non obscurus inter eos qui illic erant templi ministros, et naturalis philosophiae scientiam adeptus esset: hunc ferunt primum artem medicam exquisiuisse, et tradidisse felicius, quam eos qui ipsum praecesserant, communicasseque Aesculapio. hic ubi in ea disciplina profecit, noluit ulterius in Aegyptiorum urbibus morari, sed lucri cupidus, et consiliis turpibus obnoxius, omnem (ut ita dicam) circuiuit orbis regionem, ab omnibus lucra petens, [p.350] et uenale studium suum languentibus exhibens. Inflatusque ob scientiam, et superbiens, se etiam deum nominabat, et mortuos se ab inferis excitare posse delirans asserebat. ueniensque ad Epidaurios, et ibi summam sibi gloriam arrogans, quendam se esse deum, fulmine ictus est, poenam illi dignissimam Deo inferente: qua ex re per id quod passus est, declarauit, se nihil aliud esse quam terram ac puluerem. Sed et quae de illo odarum conditor Pindarus cecinit, uidere est operaeprecium: Vicit et illum superbi animi aurum in manibus apparens, manibus autem Saturnius per utraque praecordia traiectum deiecit ocyus: flagrans uero fulmine, mortem intentauit. Quinetiam tragicus Euripides dixisse Apollinem contendit: Iupiter auctor mortis filii mei Aesculapii, pectoribus est iniecta flamma. Hactenus ex Cyrillo. Porro pluribus in locis cultus Aesculapius, non modo in supra nominatis, sed et Romae, praecipue in insula Tiberina, quae et ab aliquibus Lycaonis dicta est: quae biremis formam habere uidetur, et formam accepisse eius nauis qua Aesculapius Romam est aduectus. Historia est nota. Ouidius in Fastis:

Accepit Phoebo nymphaque Coronide natum,

Insula, diuidua quam premit amnis aqua.

Nunc quoque in D. Bartholomaei hortis nauis marmorea cernitur, in cuius nauis sponda serpentis reptantis imago efficta est, in rei memoriam. Quare autem in insula Aesculapius et extra urbem templa habuerit, cum alii, tum Plutarchus ostendit in causis Romanis. scribit et in hunc modum Sextus Pompeius: Aesculapio aedes facta fuit in insula, quod aegroti a medicis aqua maxime sustentantur. Eiusdem esse tutelae draconem, quod uigilantissimum sit animal, quae res ad tuendam ualetudinem aegroti maxima est. Canes adhibebantur eius templo, quod is uberibus canis sit nutritus. Bacillum habet nodosum, quod difficultatem significat artis. Laurea coronatur, quod ea arbor plurimorum sit remediorum. Huic et gallinae immolabantur. adhuc Festus. Sed iam nimius in his uideri possum, quare ad interpretanda cognomina me accingam: hoc prius addito, quod Hippocrates tradit, Aesculapium etiam scripsisse libellum in re medica, cui Nauiculae nomen fecit. Legi in antiquitatibus marmoreis, in primisque in Auximi oppido Italiae, Aesculapii signum marmoreum hac forma: indutus esse uidebatur subucula graecanica, et amiculo succinctus, dextra quidem duos gallos continebat, sinistra uero in amiculi lacinia fructus nescio quos tenere uidebatur.

Phoebigena igitur in primis cognominatus est Aesculapius, a patre Phoebo. Vergilius:

Fulmine Phoebigenam Stygias detrusit ad undas.

Lactantius tamen [p.351] grammaticus in tertio Thebaidos Poenigenam leger uidetur, id est per poenam matris natum. Nam eius matrem Coronidem Apollo sagittis peremit, quia cum Ischy concubuerat: quem fulminatum quidam scribunt, alii ab Apolline occisum.

Coronides etiam cognominatus a matre, qua de re lege fabulam apud Ouidium libro secundo Metamorphoseon, quae ita incipit:

Pulchrior in tota, quam Larissea Coronis,

Non fuit Aemonia, placuit tibi Delphice certe, etc.

quo loco Coronis Larissea ab omnibus legitur, ab urbe Larissa. Ego uero ex tertio hymno Pythio Pindari, Lacerea legendum puto, ab urbe, cuius post Pindarum Hellanicus etiam et Stephanus meminere. Sane pulchre hanc fabulam totam in eodem modo citato hymno Pindarus ad Hieronem explicat, Aesculapiique matrem Arsinoen ait, Phlegyae filiam, et paulo post etiam Coronida: quo loco graeci Pindari interpretes ex Asclepiadis et Aristidis sententia scribunt, Arsinoen quidam uocant, sed Leucippi filiam. Et quidem Aristides in eo quem scripsit de Gnido condita: Arsinoe, inquit, cum adhuc uirgo esset, Coronis dicta, Leucippi filia, Amycli filii, qui fuit Lacedaemonis. Asclepiades uero et ipse Leucippi filiam dixit, ex qua Aesculapius et Eriopis nati. ut in hoc,

ἡδ΄ ἔτεκεν μεγάροις ᾿Ασκλήπιον ὄρχαμον ἀνδρῶν

Φοίβῳ ὑποδμηθεῖσα, ἐϋπλόκαμον τ΄ ᾿Εριῶπιν.

Homerus in hymnis, et Hesiodus in Theogonia Χορωνὶν uocant, et Phlegiae filiam, ut etiam Pindarus. Oraculum legitur apud Pausaniam, quo id Apollo negat Apollophani, id ab eo sciscitanti.

Triccaeus Aesculapius, cognominatus ab urbe, ut Strabo scribit. unde et ipse de se ipso:

Natus ego ex sacra Tricca, cui tota medendi

Ars debet, simul atque omnis sapientia debet.

hoc apud Porphyrium legimus in libro de Responsis. Sed et Heliodorus poeta et medicus meminit apud Cl. Galenum: huius uersus in III. de Poetarum historia attulimus. Triccam uero urbem Thessaliae, Stephanus scribit denominatam a Tricca Penei fluuii filia, cuius et Homerus in quarto Iliados meminit.

Epidaurius etiam Aesculapius uocatus est, ab urbe notissima Peloponnesi, in sinu Saronico, ex qua et Romam adductus in serpentis imagine. historia est notissima, Ouidius in Fastis, et in Metamorphoseis, Propertius in Elegia libri II.,

Et deus extinctum Cressis Epidaurius herbis

Restituit patriis Androgeona focis

Epidaurum uero urbem [p.352] uariis nominibus appellatam, tradit Stephanus, inter quae Haemeram commemorat, dictam uidelicet a sanguine, id est αἵματος, ob ea quae frequentissime Aesculapio fierent sacrificia ex uictimis. T. Liuius libro quinto, V. Decadis de Paulo Aemylio agens: Sicyonem, inquit, inde et Argos, nobiles urbes adit: inde haud parem opibus Epidaurum, sed inclytam Aesculapii nobili templo, quod quinque milibus passuum ab urbe distans, nunc uestigiis reuulsorum donorum, tum donis diues erat, quae remediorum salutarium aegri mercedem sacrauerant deo. haec Liuius. Pausanias Epidaurum appellatam scribit ab Epidauro

Pelopis filio, ut Elii tradunt: ut uero Argiui, ab Argo Iouis filio: quod et Stephanus ait. Subiungit Pausanias de Phlegyae filia, quae patrem secuta cum esset, ibi Aesculapium peperit, et ab auo infans est expositus in monte Tittheo, a capra nutritus, a cane custoditus, demum ab Aresthane pastore repertus, et seruatus ob radios, et uultus splendorem.

Archagetes Aesculapius et dictus et cultus fuit, cuius templum apud Tithoream Pausanias scribit in Phocaicis. Sed et idem cognominatus Philolaus, hoc est populi amicus, cuius templum celebre fuit apud Asopum in Laconia, ut idem est autor Pausanias.

Pergamenus, et Pergameus, nuncupatus a Pergamo celebri urbe Asiae, Galeni medicorum principis patria, ubi summo cultu uenerabatur. Martialis:

Pergameo posuit dona sacrata deo,

id est, Aesculapio. Papinius Statius de Pergamo:

Pergameas intrasse domos, ubi maximus agris
Auxiliator adest, et festinantia sistens
Fata, salutifero mitis deus incubat angui.

Q. Serenus poeta et medicus, sic etiam in libri sui inuocatione:

Tuque potens artis, reduces qui tradere uitas
Nosti, atque in coelum manes reuocare sepultos,
Qui colis Aegeas, qui Pergama, quique Epidaurum,
Qui quondam placida tectus sub pelle draconis,
Tarpeias arces, atque inclyta templa petisti,
Depellens tetros praesenti numine morbos,
Huc ades, et quicquid cupido mihi saepe rogatus
Firmasti, cunctum teneris expone papyris.

Καούσιος Aesculapius uocatus, a pago in Arcadia, terrae Telphusiae, qui dictus est Καοῦς: unde gentile nomen Causius, quo nomine appellatus est Aesculapius, qui ibi colebatur: auctores Pausanias in VIII. et Stephanus de Vrbibus. [p.353]

Demaenetus Aesculapius cognominatus, a Demaeneto eius templi conditore.

Gortynius etiam ab urbe, ut Pausanias in Corinthiacis. Item dictus Cotyleas.

Παίων quoque nuncupatus ab Artemidoro Daldiano, in secundo Onirocriticon. Idem et Paeaeon. Paeaeona alium Homerus facit, ut paulo ante dictum est, ab Aesculapio.

Ἠπιοδότης Aesculapius ab Orpheo uocatus, in poemate ad Musaeum: quasi tu dicas, mitis dator. alii Ἠπιόδορος potius existimant, quod blande dona sua impartiatur.

Ἀγλαόπης uero Aesculapius a Lacedaemoniis est appellatus, teste Hesychio: quasi tu dicas, aspectus splendidi. A medendi quoque peritia Ἰατρὸς, hoc est medicus, uocitatus est.

Colatos insuper Aesculapius cognominatus. Eustathius Mercurium, ni fallimur, ait: cuius simulachrum in Cyllene uico positum fuisse tradit.

Hagnitas cognomen est Aesculapii, cuius templum fuit apud Laconas, ad curriculi seu stadii dexteram. Hagnitas uero appellatus ab ἅγνῳ, id est a salice amerina, quod ex eius materia illic delubrum constabat. quare mirum est, quosdam sine afflatu hoc nomen scribere.

Cotylaeus Aesculapius apud Eurotam Laconiae fluuium cultus fuit, cuius templum ab Hercule positum legimus, cum is ex uulnere in cotile, id est manus concauitate sanatus fuisset, quod in praelio contra Hippocoonta et filios acceperat. Pausanias.

Αἰγλαὴρ Aesculapius etiam dictus, Hesychio et Phauorino testibus.

Salutifer etiam Aesculapius ab Ouidio dictus, libro Metamorphoseon secundo, item Opifer, libro XV.

Cum deus in somnis Opifer consistere uisus.

quanquam et Apollo eodem cognomine dictus, ab eodem poeta.

Alia etiam eius sunt praeter haec cognomina, quorum nonnulla habes in hymno Orphei, quem cum manna thuris illi adoleuit. ut Αὐξιθαλὴς, id est augens semina: et Ἀπαλεξίκακαος, id est propulsor malorum.

Hygeia, et cum patre, et cum sororibus culta: interdum et seorsum, ut apud Graecos obseruamus, cum sorore Panacea. Hippocrates in Iusiurando. Hygeiae simulachrum Pausanias apud Sicyonios fuisse ait, quod uix apparere uidebatur: cui mulieres capillos dicabant, et in eius honore sibi tondere ac resecare solebant. De Hygia supra in hoc Syntagmate meminimus, ubi Aesculapii filios, filiasque recensui. Huius peculiaris hymnus Orphei legitur, [p.354] cum thymiamate mannae thuris, cui pulcherrima cognomina etiam ascribit. Sed de Hygeia Pallade suo loco actum est. In primo quoque Syntagmate de hac Hygeia actum est, ubi Salus Romanorum est descripta.

AVRORA

Aurora a nostris, ab aura uocatur dea, unde et aurea cognominata est. ut illud:

Aurea fulgebat roseis Aurora capillis.

quae solem praecedere putabatur. immo et nuncia, hoc est, ut ad eam canit in hymno Orpheus, ἀγγελίεια θεοῦ τιτᾶνος. graece Ἠὼς et Ἑὼς uocata, unde Eous et Heous deducitur, nunc breui, nunc producta syllaba. Et cum afflatu in prima, si ab Ἑὼς deducitur: et sine eo, si ab Ἠὼς. Graecorum tamen quidam sunt, qui ita tradant, Ἠὼς communi lingua dici, ionice uero Ἑὼς, dorice autem Ἀὼς: et aeolice ab hoc ipso, Dorico uidelicet, Αὐὼν. licet Seruius haec parum obseruarit. Sane antiqui cuique parti temporis ac diei suum Genium et deum proponere solebant, quod apud Homerum grammatici notant. Ergo Aurora dea primae partis diei, qua gaudet mortale genus, ut canit Orpheus:

Nec cernere quisquam est, Qui uultus fugiatue tuos, etc.

Fuit Aurora Hyperionis filia, et Thiae, ut Hesiodus ait in Theogonia. Alii Pallantis dicunt, unde a patre Pallantias nuncupata. Ouidius:

Tradendum Phoebo Pallantias inficit orbem.

Idem:

Sextae Pallantidos ortu Italiam tenuit.

Et illus ex Vergilii poematibus,

Roscida puniceo Pallantias exit amictu.

Alii Titani et Terrae filiam tradidere. At uero haec curru per coelum uehi putabatur, qui Pegaso alato equo trahebatur: et manu lampada ferre. Quare Λαμπαδοφόρος etiam uocata est. Tradunt enim, post excussum ex Pegaso Bellerophontem, ipsum equum ab Ioue Auroram impetrasse. Homerus illi tamen equos ascribit, Lampum et Phaethonta, in XXIII. Odysseae. Poetae praeterea finxere, Auroram Tithonum Laomedontis filium, formosum in primis adolescentem, amasse, eundemque rapuisse, unde natus sit Memnon. demum tandem Tithonum ob nimiam eius senectutem in cicadam mutatum ferunt, adeo ut usque in prouerbium eius nomen deductum sit, ut apud Lucianum et Suidam legimus. [p.355] M. quoque Cicero in Catone de Senectute, ait Aristonem Chium Tithonum ideo, quia senex fuisset, introduxisse de senectute loquentem: quem tamen, ut fabulosum, Cicero ipse in Catonis personam mutauit. Hinc et Aurora ipsa Tithonia nuncupata est Vergilius:

Te potuit lachrymis Tithonia flectere coniunx.

Idem:

Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

Statius:

Trepidas subito Titonia nubes Discutit.

Auroram et Cephalum amasse fabulantur, de quo Ouidius VII. Metamorphoseon. item in Arte:

Nec Cephalus roseae praeda pudenda deae.

Sed et Plutarchus aliique meminere.

Mamnonis mater Aurora uocata est a poetis, a filio Memnone. Fabula notissima: ut illud,

Memnonis ut genitrix infecerat humida coelum.

Et Ouidius:

Memnona si mater, mater plorauit Achillem, etc.

Lutea etiam Aurora cognominata est: ut illud,

Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

Et illud,

Inficit et coelum lutea sidereum.

Roscida et Rosea Aurora, diuersa ratione cognominata: haec quidem a colore, illa a rore. ut in illo,

Roscida puniceo Pallantias exit amictu.

Item:

Et roseis manibus sidera dispulerat.

Crocea quoque Aurora uocatur, et in ueste crocea describitur, unde a Graecis Κροκόπεπλος uocata est.

Hinc noster Maro, dum experimenta facit ingenii,

Aurora Oceanum croceo uelamine fulgens.

Et illud,

Titoni croceum linquens Aurora cubile.

Quin etiam legimus Ἐανηφόρος Ἠὼς, ut ab Antimacho appellatur, ab Eano ueste lucida et tenui, quia ἑανὸς dicitur ab Homero peplos, quod et Hesychius notauit.

Χρυσότρονος Ἠὼς, ita Homerus in hymno Veneris, et alibi appellauit: hoc est, auream sedem habens Aurora.

Ἀγγελίεια, id est nuncia dei Titanis, dicitur ab Orpheo in hymnis. Praeuia uero in experimentis Vergilianis:

Praeuia flammiferi currus Aurora rubebat.

Rhododactylos Aurora, ab Homero et aliis cognominata est, quasi roseos digitos et manus habere uideatur. ut Vergilius:

Et roseis manibus sidera dispulerat.

ut ante dictum.

Pudoricolor Aurora a Neuio poeta uetustissimo, in fabula Alcestidis [p.356] nuncupata est, teste Gellio, pro rubente. Sic enim saepe uocata est. unde illud,

Vix Aurora suo rubefecerat aethera curru.

Item,

Et biiugis uecta rubebat equis.

Putarim epithetum illud Orphei exprimi, Ἐρυδαινομένη.

Ἥμερα etiam interdum a graecis appellari uidetur, ut est in Attica Pausaniae, ubi de Cephali fabula mentio. Nam praeter Tithonum, scimus et deam hanc Cephalum amasse, ut notissima est fabula, uel in primis ab Ouidio, ut paulo supra ostensum est.

Aurorae praeterea hymnus ab Orpheo concinitur, cum thymiamate mannae libani, id est thuris: quo loco Λαμπροφανὴς, id est splendida, inter caetera Aurora uocatur.

MVSAE

Musarum Syntagma, Cynthi suauissime, ut nosti, multo ante iuuenis composui, in quo de Musis ex uaria lectione pleraque collegi, quae praesenti instituto conuenire possunt. Nunc ea tantum, quae ad earum cognomina pertinent, tibi afferam, uel quae omissa in priore fuerunt. Musarum igitur in primis duo genera fuerunt: antiquarum, quas Coeli et Terrae filias dixere: et iuniorum, de quibus paulo post agendum. Mnaseas quidem et ipse auctor est apud Arnobium, Musas esse filias Telluris et Coeli, Iouis caeteri praedicant, ex Memoria uxore, uel Mente. Has quidam uirgines, alii matres fuisse conscribunt. Libet uero hic paucis tibi referre, quae idem scribit Arnobius: Ephorus, inquit, has numero esse treis refert, Mnaseas, (quem diximus) quatuor. Myrtilus inducit septem, octo asseuerat Crates. ad extremum Hesiodus nouem, cum omnibus prodit deis, coelum et siderea locupletans, etc. Caeterum et Granius apud ueteres homo doctissimus Nouensiles, qui dei dicebantur Sabinorum, Musas existimauit, a numero uidelicet nouem denominatos: ut alibi, hoc est in primo Syntagmate, planius ostendi. Porro Myrtilus Macari filias Musas dixit, ita tradente Arnobio: Nunquid ex nobis est, inquit, Myrtilus auctor, qui Macari filias, Megalconis ancillulas, profitetur fuisse Musas? Sed ut paradoxa haec mittamus, insuper et alia afferemus. Eumelus Corinthius poeta, ut Ioannes Zezes grammaticus scribit in Hesiodum, tres esse dixit Musas, filias Apollinis, Cephison, Apollonida, et Boristhenida. Sed Aratus in V. Ἀστρικῶν, quatuor Musas putauit, Iouis Aetheris filii et Plusiae nymphae, Ἀρχὴν, Μελέτην, Θελξινόην, et Ἀοιδὴν. Quidam et quinque Musas fuisse tradiderunt, et nomina quinque sensuum habuisse. Epicharmus autem in nuptiis [p.357] Hebes, septem Musas commemorauit, Pieri filias, et Pimpleidos nymphae, Nilum, Tritonem, Asopum, Heptapolen, Acheloida, Tipoplun, et Rhodian. Ab Hesiodo uero nouem in Theogonia dicuntur, et similiter ab Homero et Orpheo. Et tres quidem, ut idem Zezes ait, propter tres tonos, tres accentus, tria tempora, tres personas, et tres denique graecorum numeros, et pleraque alia. Quatuor autem dicuntur, propter quatuor dialectos, id est linguas Graecorum, Ionicam, Atticam, Doricam, Aeolicam: et propter alia multa. Quinque uero Musae dictae sunt, propter quinque sensus, et caetera eiusmodi. At septem, propter septichordem lyram, et propter septem zonas, septemque stellas, et inter haec ob septem uocales, et quaedam alia. Nouem postremo dictae, propter nouem ipsarum inuenta. Clio enim historiam inuenit: Thalia φυτουργίαν, hoc est plantarum artem: Euterpe tibias: Melpomene oden, id est cantilenam: Terpsichore χορείαν, id est tripudium: Erato nuptialia, et saltationem: Polymnia agriculturam: Vrania astrologiam: Calliope poesin. atque ob haec inuenta deas Musas fuisse, fabulati sunt antiqui. Alii aliter dicunt, inter quos Phurnutus, in his rebus perscrutandis diligens et accuratus. Duae, inquit, Musae dicuntur, propter theoricen et practicen. nam et disciplinae in speculatione et actione consistunt. tres uero, propter ternarii numeri perfectionem, seu quod tribus speculationum generibus philosophiae ratio perficitur. Tot certe Musas, Sicyonios conformandas locasse tribus artificibus legimus. At uero quatuor aut septem existimatae, quod apud antiquos tot uoces musica instrumenta habuisse feruntur. Porro quod nouem creditae fuerunt, idem ait Phurnutus, quod tetragonos, id est quadratos ac perfectos, ut quidam dixit, eos faciant, qui cum eis uersantur. Talis enim est numerus, qui nouem dicitur, ut qui ex seipso consistat, et primi propter perfectionem participare a nonnullis existimatur. Alii quidam, ait Zezes, has primas nouem fuisse Musas prodiderunt,

Callichorem, Helicen, Eunicen, Thelxinoen, Terpsichoren, Euterpen, Enceladen, Dian, et Enopen. M. quidem Tullius in tertio de Natura deorum, tria Musarum genera recenset: Iam, inquit, Musae quatuor, natae Ioue altero, Thelxiope, Mneme, Aoede, et Melete: secundae, Ioue tertio, Pierio natae, et Antiopa, quas Pieridas et Pierias solent poetae appellare, iisdem nominibus, eodemque numero quo proximae superiores. Musae uero dictae ab inquisitione, hoc est, ἀπὸ τῆς μώσεως. sicut illud est uetus: Mollia ne inquiras, ne aspera habeas. hoc est graece, μὴ τὰ μαλακὰ μώσο, μὴ τὰ σκκληρὰ ἔσχης. Vel dictae παρὰ τὸ μυέω, quod initio et instituo significat. Musae puellari et nympharum habitu indutae finguntur [p.358] cum uariis et diuersis musicis instrumentis. nam ex marmore quidem peruetustas Romae in sepulchro effictas, diuersas ab his quas in subscriptis carminibus leges. Coronabantur uero uarie et florum et frondium coronis: sed et interdum palma, ut Phurnutus ait, propter nominis similitudinem, quia Phoenices literas inuenisse feruntur. Quin et literae Phoeniceae appellatae sunt, ut in Poetis diximus. Sed et coronas interdum gestare Musae finguntur, ex pennis uersicoloribus, non modo propter Pieri filias ab his superatas, et in picas conuersas, sed etiam ob Sirenas deuictas, ut alibi dictum est. Certe harum signa hodie quoque peruetusta Romae uisuntur, quae pennam habent in uertice affixam, ut ipse saepe conspexi, quae Sirenum esse creduntur. Musae igitur plurimorum consensu Iouis et Mnemosynes, id est memoriae filiae dictae sunt, quod Orpheus duobus hymnis ostendit, altero ad Musas ipsas, altero ad Mnemosynen, cui et thymiama adolet libani, id est thuris. Solonis quoque pulcherrimae principium hoc est elegiae, quam apud Stobaeum legimus:

Μνημοσύνης καὶ Ζηνὸς Ὀλυμπίου ἀγλαὰ τέκνα,

Μοῦσαι Πιερίδες κλῦτε μοὶ ἠχομένῳ: Mnemosynes et Iouis Olympii splendida proles, Musae Pierides, audite me precante: uel ut carmine ludamus,

Mnemosynae et Iouis aetherei inclyta proles,
Musae Pierides, uota tenete mea.

Sane nec hoc loco praeterierim, Mnemosynen et Iouem parentes Musarum propterea existimatos, quod qui operam nauant in re literaria, oportet intelligendi et memoriae potestate praeditos esse. Iupiter quippe ab antiquis τὸ νοητικὸν putabatur afferre, et Mnemosyne τὸ μνημονικὸν. Ad haec et fons Mnemosyne fuit non longe a Trophonii antro: qui ita appellabatur, quod aqua ex illo uidebatur afferre memoriam omnium quae in ipso antro uidissent. Comites uero Musae Apollinis dicuntur, ut denarius numerus compleatur: quia humana uox ut perfecta sit, nouem fulcitur adiumentis. primo quatuor dentibus, et duobus labris, linguaque, et palati concauitate, et gutturis fistula, ac pulmone, ut folle aerio. Si enim ex his aliquid defuerit, uox perfecta non erit. Sed et Physica naturae ratione Musae Apollini iunguntur. Sicuti enim terrestris musicae μέση, id est media principatum in omni tropo tenet, ita Sol harmoniae coelestis, quae nouem ordines habere dinoscitur, propter scilicet planetas, octauamque sphaeram coelestem, atque ipsam terram, quae totius consonantiae informitas, uocumque materiae proportionem possidet. Vnde iuxta allegoriae leges quidam hoc Musarum utuntur ordine. primo loco Vraniam posuere, id est humanae intelligentiae sublimitatem. deinde Polymneiam, id est capacitatem memoriae. [p.359] tertiam numerauere Euterpen, id est uoluntatis delectationem: nam intelligentia memoriae iungitur, et uoluntati. inde Erato ponitur, hoc est amabilis: nulla enim re plus uoluntas delectatur, quam similium collatione: hoc autem sine profunda cogitatione fieri non potest. ideo subsequitur Melpomeme. huic Terpsichore, quasi artium delectatio associatur: cogitationum etenim perfectio sine disciplinarum exercitatione fieri non potest. His omnibus omnis humanae locutionis uenustas gignitur, quae Calliope designatur. Inde Clio, hoc est bona fama et gloria nascitur. Sub qua Thalia, quae in ultimo loco posita est, hoc est germinatio uirtutum: omnis enim uirtus per pulchram appetitur famam et gloriam. Ideoque albo alite, id est cygno substollitur, stagnisque mox deponitur: quia gloriae et bonae famae semina in altum et sublime elata, dein per humum, hoc est inter mortales et per ora hominum disseminantur, atque diffunduntur. Alii porro ad ipsius Musices referunt consonantias. Thaliam enim Musam dicunt concentum non habere, silentio et terrae eam ascribentes. Clio uero cum Luna, hypodorium modum et cordam proslambanomenon mouent. Calliope et Mercurius, hypophrygium modum, et

chordam hypatehypaton possident. Terpsichore cum Venere, hypolydian parhypatehypaton continent. Melpomene cum Sole, dorium et lichano hypaton coaptant. Erato cum Marte phrygium cum hypate mese custodiunt. Euterpae et Ioui Lydius et parhypate mese conueniunt: Polymneia et Saturnus Mixolydium et lichanon meson seruant. Vraniae et Coelo stellato hypermixolydius modus, et meses chorda ascribuntur. Et hactenus haec quidem de Musis dicta, quoniam in peculiari altero Syntagmate nostro de Musis notata non fuere: caetera in eo require. Quoniam uero in graecis Epigrammatibus carmen legitur, in quo singularum Musarum officia a nostris et supra scriptis nonnihil uaria ac diuersa continentur, hic tibi illud meis utcunque uerbis referam. Nec te admiratio capiat, quod graecum decastichon cum sit, ipse nouem uersibus concluserim. Duos enim de Polymneia uersus in unum sum complexus, ut uersuum numerus Musarum numero responderet.

EPIGRAMMA

Calliope heroi monstrauit carminis artem,
Clio dulcisonae citharae modulamina prompsit,
Euterpea chori tragici resonabile carmen,
Melpomene dulci concentu barbita mouit,
Grataque Terpsichore calamos inflare parauit,
Ast Erato diuum iucundos repperit hymnos, [p.360]
Harmoniam numeris, saltusque Polymnia iunxit,
Vraniae astrorumque chorum, coelique rotatus,
Comica uita Thalia tibi est, moresque reperti.

Nunc attende, quantum meis praestant graeca, et elegantia et uenustate: sed graece nescientibus, opem qualicunque modo ferre iustum fuit.

Καλλιόπη σοφίην ἡρωΐδος εὗρεν ἀοιδῆς,
Κλειὼ καλλιχόρου καθάρης μελιηδέα μολπὴν,
Εὐτέρπη τραγικοῖο χοροῦ πολυηχέα φωνὴν,
Μελπομένη θνητοῖσι μελίφρονα βάρβιτον ἧρε,
Τερψιχόρη χαρίεσσα πόρεν τεχνήμονας αὐλοὺς,
Ὕμνους ἀθανάτων Ἐρατὼ πολυτερπέας εὗρε,
Τέρψιας ὀρχηθμοῖο Πολύμνια πάνσοφος εὗρεν,
Ἁρμονίην πάσαισι Πολύμνια δῶκεν ἀοιδαῖς,
Οὐρανίη πόλον εὗρε καὶ οὐρανίων χορὸν ἄστρων,
Κωμικὸν εὗρε Θάλεια βίον τε καὶ ἤθεα κεδνὰ.

Sed et latinum hoc quoque est epigramma, quod inter Vergilii poematia legitur:

Carmina Calliope libris heroica mandat.
Clio gesta canens, transactis tempora reddit.
Dulciloquis calamos Euterpe flatibus urget.
Melpomene tragico proclamat moesta boatu.
Terpsichore affectus citharis mouet, imperat, auget.
Plectra gerens Erato saltat pede, carmine, uultu.
Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia gestu.
Vranie coeli motus scrutatur, et astra.
Comica lasciuo gaudet sermone Thalia.
Mentis Apollineae uis has mouet undique Musas.
In medio residens complectitur omnia Phoebus.

Sed iam Musarum cognomina, quorum frequens apud auctores mentio, paucis recenseamus. Sunt igitur in primis Musae nymphae nuncupatae, quod Acron notat illo Horatii uersiculo:

Vidi docentem, credite posteri.
Nymphasque discentes.

Item Vergilius, Nymphae nostrae amor Libethrides. Huc adde, quae de nymphis Lydorum traduntur, quae et Lydiae Musae dictae sunt. Cum enim Carius Iouis et Torrebiae filius, errabundus uagaretur, ad paludem quandam, quam ipse ex matris nomine Torrebiam appellauit, peruenit, ibique Nympharum quas indigenae Musas uocabant, auditos cantus edidicit, Lydiosque modos edidit, ut Nicolaus prodidit, et Stephanus. [p.361]

Virgines etiam, id est Πάρθενοι Musae dictae sunt, quoniam disciplinae, uti uirgines, abditae, et non fuco comptae esse uidentur, natiuo scilicet decore contentae: id quod et de bonis literis dicere consueuimus, quae ideo interiores, abditae et reconditae a Cicerone in primis appellantur. sed et Lucianus quodam Dialogo eas Virgines, id est Παρθένους uocat: id quod et Zezes in commentariis in Hesiodum. Sed quo modo uirgines, si Clius et Magnetis Ialemus et Hymenaeus filii fuere? Euterpes autem et Astrymonos Rhesus, uel

secundum alios Terpsichores? Apollinis uero Carbantis et Thaliae Palaephatus? Vraniae et Apollinis, uel Pieri terrigenae Linus? Melpomenes quidem, uel iuxta alios Terpsichores et Acheloi Sirenes? Terpsichores uero, uel Melpomenes et Lini Apollinis, uel secundum alios Lari, Melpus? Erato et Aethlii Endymionis, uel Philamonis, Thamyris? Polymniae uero et Celei, siue Chimarrhi Martis, Triptolemus? Calliopes et Oeagri, Orpheus? quibus et allegorias subiungit perbreues, idem qui supra, Ioannes Zezes.

Camenae uocantur et Musae, quasi Canienae, a cano, ut plures existimant. Varro tamen Casmenas primum dictas ait, inde Carmenas, postremo ablata r Camenas.

Heliconiades, ab Helicone Boeotiae monte, in quo primi Otus et Ephialtes Musis sacra fecere, eumque montem Musis sacrum esse uoluere. sed et Heliconem fluuium quidam esse uoluerunt, qui per LXX stadia lapsus sub terram fluit, inde erumpit, et pro Helicone Baphyras dictus. Quidam rem in Orphei necem retulerunt, ne homicidae mulieres Cicones se abluerent. Nicandri interpretes Heliconem etiam Melissum appellant. Sed enim sunt inter scriptores, qui Heliconiadas Musas ab instrumento musico deriuant, cuius instrumenti mentio est apud Ptolemaium in musica. Fuit et Helicon statuarius artifex, cuius est in graecis prouerbiis historia.

Parnassides Musae appellantur a Parnasso Phocidis regionis monte, qui et Larnassus uocatus, Stephano et Tarrhaeo Lucilio testibus, a larnace, id est ab arca Deucalionis, quae eo delata fuit. post diluuium uero longe a Parnasso heroe montis incola Parnassus uocatus est, ut Hellanicus scripsit. Alii a Parnasso Cleodorae nymphae et Neptuni, siue Cleopompi filio. In Parnasso alternis annis Bacchanalia, id est Trieterica agebantur, ubi Satyrorum frequens cernebatur coetus, et frequentius uoces exaudiebantur, et cymbalorum crepitus, id quod et Macrobius post Pausaniam annotauit.

Aonides Musae, ab Aoniis montibus frequentissimae dictae, qui montes et Aones dicti: ut illud,

Aonas in montes ut duxerit una sororum.

Boeotia quoque regio et ipsa Aonia denominata est, a cuius etiam populis Hyantiis, Hyantiae [p.362] sorores Musae dictae sunt. unde magis mirum, uiros alioqui eruditos illud adhuc apud Statium male enunciare, Et Paean et Euantiae sorores: cum Hyantiae legendum sit, syllaba id etiam manifestante, quae in hoc breuis, in illo producta est.

Citheriades quoque nuncupatae a Cythaerone monte, qui a rege antiquo Cythaerone, teste Pausania dictus fuit: uel ut alii, a Cithara.

Pierides, uel Pieriae Musae, cognominatae a Piero monte, ut Festus ait, et Cicero. Stephanus tamen Pieriam ciuitatem et regiunculam nominat. sed Apollonii Rhodii interpretes, Pieriam montem Thraciae asserunt, in quo uersatus sit Orpheus. Graeci Hesiodi expositores Pieriam Macedoniae montem esse tradunt, in quo genitae sint Musae, qui mons Thraciam usque attingere dictus est. quod ea ratione fictum arbitramur, quoniam primus apud Graecos et sapiens et poeta et theologus Orpheus in haec loca diuersatus est. uel si Ouidio poetae credimus, Pieriae Musae dictae sunt a Pieri et Anippes filiabus, quae cum ueris Musis ausae sunt decertare, unde uictae in picas mutatae fuerunt. Pierum etiam uetustissimum poetam legimus, a quo Graecorum nonnulli Musas aiunt lepidis adeo carminibus celebratas, ut ab eo etiam Pieriae nuncupatae sint. Alii uero, quod Pierus Macedo, a quo mons cognominatus est, cum Thespias profectus esset, primus Musas nouem statuerit, id quod in Boeoticis scribit Pausanias, et ipse in poetarum historia retuli.

Pegasides insuper Musae nuncupatae, ut Festus docet, a fonte quem Pegasus ictu ungulae fingitur aperuisse. ob eam causam et fons Hippocrene, et Musae ipsae Hippocrenae dictae: cuius fontis aquas uocales fuisse, plurimi poetarum cecinere. Sidonius,

Texerunt uitreae uado Hippocrenes,

Tunc hac mersus aqua loquacis undae: et reliqua.

Statius Papinius in epithalamio Stellae poetae:

Et de Pieriis uocalem fontibus undam.

Pindari commentator fabulam in allegoriam refert, quod scilicet poetae soliti essent canere carmina: uel propter musicam quae fit ex aqua, cuius et nos alibi meminimus, in Musis scilicet. hinc et Hydraulica musica, et Silani.

Aganippides etiam Musae ab eodem fonte appellatae sunt, qui fons etiam Aganippe uocatus est. alii in Helicone fontem statuunt, sic ab Aganippe Termessi fluminis filia. fuit autem Termessus, ut Pausanias ait, fluuius

circum Heliconem. Multa hic consulto praetereo, quae de Pegasi equi fabula afferre possem.

Ilissides, quae et Ilissiades, Musae nuncupatae sunt ab Atticae flumine Ilissio, ut in Attica Pausanias docet. Stephanus tamen ab urbe Ilisso dictas existimauit, testemque uocat Apollodorum.

Thespiades uero Musae uocantur, non ut quidam putant, a Thespia [p.363] matre, uel nutrice, quod nusquam apud idoneos auctores compertum: sed a Thespia, uel Thespiis (utroque enim modo dicitur, ut ait Stephanus) ciuitate Boeotiae, ubi praecipue Musae colebantur. Si quis tamen scire desiderat, quo nomine uocata fuerit Musarum nutrix, is in primis Hyginum legat in Astronomico poetico, et in Aratum latina commentaria, quae in Bassum a quibusdam referuntur. utrique enim eam Euphemen uocant, quae Crotonem filium habuit: qui Musarum precibus, quod inter eas est uersatus, et ab eis musicam edoctus, ab Ioue est inter sidera collocatus, et sagittarii nomen habet. Huius quidem Euphemes statuam Pausanias in Helicone positam fuisse ait ad Musarum lucum.

Libethrides a Magnesiae fonte Musis ipsis consecrato, Musae nuncupatae sunt, cuius Plinius et Solinus meminere. Strabo in IX. Libethri etiam meminit: Hoc in loco, inquit, consecrata est Musis aedes, fonsque Caballinus, et Libethridum spelunca nympharum. Vergilius, Musae noster amor Libethrides. Sedenim Libethrium montem XXX ab urbe Corona stadiis Pausanias distare scribit, in quo et fons, et Musarum Libethriadum simulachra fuisse traduntur. Fuit et Libethra ciuitas in monte Olympo, uel Dionysii oraculo memorabilis, de non eruendis a sue ossibus Orphei. qua de re multa in Poetarum historia retulimus. Hinc emanasse quidam uolunt illud, ἀμουσότερος Λειβηθρίων: hoc est, Libethriis inelegantior.

Pimpliae Musae dictae sunt in Macedonico Olympo, a fonte Pimplia, ut Hesychius tradit. uel ut ait Porphyrion, a monte uel fonte eiusdem regionis: ut uero Apollonii Rhodii interpretes scribunt, a Pimplia regione, quae fuerit prope Pieriam. Literarum tamen quidam, ut uidetur, parum gnari, Pipleades potius quam Pimpleades uocitant. Graeci certe, quorum hoc est uocabulum, tum Πίμπλεια, tum Πίμπλια, hoc est, cum ει diphthongo in penultima, et sine, enunciant, non Πίπλια. Videtur tamen Varro de Lingua latina Pipleades nuncupare, sicuti etiam Acron: qui eas ab aliquibus a peplo uestis genere dictas ait, uel ab Orchomeniorum monte Pimpleo. Non desunt inter grammaticos, qui hic meras nugas confingant, quae praeteruolandae a nobis potius quam adscribendae sunt.

Castalides Musae nominatae sunt a Parnassi fonte Castalia, cuius aqua potu suauis fuisse traditur: quanquam apud Stephanum, Castalia sit Ciliciae ciuitas. Nicephorus in interpretatione Synesii, fontem esse prope Antiochiam Syriae, ubi oracula redderentur, testatum reliquit. Idem multo ante Nicephorum scripsere Clemens Alexandreus, et Eusebius Pamphili. Mythologi quidem Castaliam ferunt uirginem quampiam fuisse, quam cum ardentius Apollo deperiret, eique uim inferre studeret, sese in fontem ipsum praecipitasse, a cuius nomine fons Castalius cognominatus est. Idem Coelius [p.364] Lactantius, uel Lutatius grammaticus. At uero Probus: Castalius, inquit, fons est Delphis in Apollinis oraculo, qui abluit ipsam aram dei, dictus a Castalio Delphici Apollinis filio. alii a Castalio patre Thyiae, unde Thyiades Bacchae nymphae uocatae sunt. Panyasis uetus poeta graecus, Castaliam hoc uersu Acheloida uocat,

Castaliam aduenit, diuinam Acheloidos undam.

(sic enim ego ex tempore lusi) quo fit, ut nonnulli Acheloi filiam Castaliam existimarint.

Corycides adhaec Musae appellatae sunt a colle, uel antro potius Corycio, in Parnasso, Delphis proximo, cuius meminit et Laertius in uita Pherecydis, et Apollonii Rhodii commentatores: qui nuncupatum illud aiunt a nympha Corycia, cuius et Apollinis Lycoreus filius fuit, a quo Delphici incolae Lycores nuncupati sunt. aliae sint licet de iis populis opiniones, quae nostri nunc non sunt instituti. Alterum praeterea antrum Corycium memorabile in Cilicia fuit, de quo Mela et Solinus. Fuit et eo nomine urbs, ut Herodotus et Strabo prodiderunt. quin et Stephanus multis in locis urbes eius nominis commemorat.

Mnemosynides Musae quoque uocatae fuere, a matre Mnemosyne, quae est memoria.

Pateidas, ait Festus Pompeius, Musas appellatas, a fonte Macedoniae, propter liquoris eius unicam subtilitatem.

Ligiae etiam Musae dicuntur, ut in Phaedro scribit Plato: siue propter speciem cantus, siue

propter musicum genus canorum quod Ligium nuncupatur.

Olympiades et Varro Musas nominat, ab Olympo monte, carmen illud afferens,

Musae, quae pedibus magnum pulsatis Olympum.

quod quidem carmen ab Homero deductum uidetur, qui Musas aliquoties inuocat Olympia tecta habitantes, hoc carmine,

Οὔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι, ὀλύμπια δώματ΄ ἔχοντες. cuius etiamnum hemistichum cum apud alios, tum apud Hesiodum legitur. Sed et Olympiadas Terentianus Musas hoc uersu uocat,

Carmen summe dedistis Olympiades mihi Musae.

Item Hesiodus in Theogonia,

Μοῦσαι ὀλυμπιάδες κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο.

Χρυσάμπυκες Musaeetiam a Pindaro in Isthmiis uocatae sunt, quod uidelicet ornamentum aureum in capite gestarent. παρὰ τὸ χρυσίον et ἄμπυξ, qui ornatus est capitis muliebris.

Ardalides adhaec Musae cognominatae, ab Ardalo Vulcani filio, qui cum ad Troezenios tibias et Musas detulisset, eas ita nomine suo appellauit, auctor Plutarchus in Symposio, et Stephanus, qui ita scribit: [p.365] Ardalides et Ardaliotides in Troezene coluntur Musae: sic ab Ardalo dictae quopiam, uel a loco. Addit amplius Pausanias fuisse apud Troezenios aram ueterem, super quam Musis et Somno diuinam rem faciebant, quod scilicet Musis somnum conuenire arbitrabantur.

Maeonidas demum Musas interdum uocat Ouidius a Maeonia, ut putatur regione: uel ab Homero, qui Maeonius dictus est, a Maeone magno patruo et tutore: uel a Maeone Lydorum rege, qui Homerum aluit, ut in eius uita legitur apud Plutarchum. Sunt tamen qui apud Ouidium in Metamorphoseis Myonias legant, ut quaedam habent exemplaria, a Myonia Phocidis urbe, de qua Pausanias et Stephanus. Haec sunt Musarum cognomina, quae collegi. Si de Musis forsan nosse plura desideras, nostrum lege, si uacat, de Musis Syntagma.

SYNTAGMATIS SEPTIMI FINIS.